BR
63
F4
v.38

Digitized by the Internet Archive
in 2025 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/sanctiaureliiaug38unse

Florilegium Patristicum
tam veteris quam medii aevi auctores complectens

Ediderunt

Bernhardus Geyer
S. Theologiae Doctor
in Universitate Bonnensi Professor ordinarius

et

Johannes Zellinger
S. Theologiae Doctor
in Universitate Monacensi Professor ordinarius

Fasciculus XXXVIII

Bonnae Sumptibus Petri Hanstein
MCMXXXIV

Augustinus Aurelius, Saint, bp. of Hippo.

S. Aurelii Augustini
Episcopi Hipponensis

Textus selecti de paenitentia

Collegit et notis illustravit

Bernhardus Poschmann
S. Theologiae Doctor
in Universitate Wratislaviensi Professor ordinarius

Bonnae Sumptibus Petri Hanstein
MCMXXXIV

CLgA

41616

BR
63
F4
v.38

Imprimatur Coloniae die 31. Januarii 1934. Dr. David Vicarius generalis.

PRAEFATIO

Augustinus, quae ad paenitentiam pertinent, etsiamsi non unius libri opere complexus est, tamen de peccato eiusque remissione tam saepe et copiose disseruit, ut scripta eius ad cognoscendum, quid vetus ecclesia de paenitentia docuerit et quomodo eam administraverit, clarissimum lumen afferant. Doctori gratiae totam miseriam peccati maioresque adhuc Domini misericordias in semetipso experto nihil magis cordi erat quam remissionem peccatorum, „per quam staret ecclesia" (Enchir. 64, 17), praedicare atque defendere. Ad solam Dei maiestatem pertinere peccatorem ad vitam resuscitare contra falsam Pelagii doctrinam fidelibus in conscientiam revocare non desistebat. Non minore virtute contra Donatistas ecclesiae potestatem solvendi peccata vindicabat pravamque quorundam opinionem refellebat, qui aut baptizatos omnes, quantumvis scelerosos, propter ipsum baptismum et fidem, licet diu in illo saeculo igne purgandos, aliquando tamen salvos fore aut maxima quaeque flagitia sine paenitentia eleemosynis largioribus redimi posse praesumebant. Praesertim in celeberrimis, quas habebat, contionibus S. episcopus in cura animarum se consumens nihil praetermittebat, quin fideles ad agnitionem peccatorum paenitentiamque provocaret, et quomodo eam fructuose agerent, plene instrueret. Quibus in admonitionibus loquebatur de variis peccatorum generibus eorumque remediis, de correptione peccatorum, de vera conversione atque confessione, sed et de causis homines plerumque a capessenda paenitentia retrahentibus, de difficultatibus angustiisque, in quas praepositi ecclesiae in vindicandis peccatis nonnumquam adducerentur, de paenitentium saepe vituperanda vita et moribus, de omnibus denique, quae ad paenitentiam quomodocumque spectant.

Historici autem dogmatum scire maxime interest, num quid episcopus Hipponensis ad sacramenti paenitentiae evolutionem et doctrinae progressum contulerit. Et quod ad usum paenitendi attinet, mea quidem sententia de tradita forma nihil mutavit, sed morem ecclesiae servans constanter tenuit, quod et alia illius temporis documenta testantur: peccata levia oratione cotidiana bonisque operibus,

crimina vero maiore paenitentia expianda esse, quam semel in vita suscipere liceret. Sunt tamen, qui sententiae huic contradicentes novam eum hancque maximi momenti formam paenitendi si non introduxisse, at certe auctoritate sua stabilisse affirment, cum illos, qui occulte peccassent, absque maiore paenitentia sola correptione secreta ab eo solutos esse opinentur. De quo his annis multum disputatum est. Doctrinam vero paenitentiae maxime eum auxisse et locupletasse omnes consentiunt. Quae ex defendenda contra haereticos fide quoad rationem malitiamque peccati, quoad miserrimam hominis sibi derelicti conditionem sola Dei gratia sublevandam, quoad solius ecclesiae remittendi peccati potestatem clarius in dies ipse cognoverat, haec non solum ad monstrandam paenitentiae necessitatem, verum etiam ad explicandum, quid Dei, quid ecclesiae, quid ipsius hominis in delendo peccato esset, aptissime adhibuit posterisque fructum ingenii sui reliquit. Imprimis potestatem clavium pro singulari suo intellectu ecclesiae magis prioribus et posterioribus extollens paenitentiae vim sacramentalem, etiamsi nondum ex omni parte perfecte, plane tamen ostendit. Quae quidem doctrina evanescente profunda illa, quam excoluerat, idea ecclesiae plus minusve oblitterata saeculo demum tertio decimo in plenam lucem revocata est. Quamquam et de hac quaestione hodie periti controversantur, utrum scilicet S. doctor clavibus ecclesiae vim auferendi reatum poenae tantum an etiam ipsius culpae tribuerit.

Consideranti, quo ordine lucubrationes per plurima scripta dispersas opportune redderem, quamquam collectionem secundum materias factam libello utentium commodo certe futuram fuisse mihi dicebam, tamen haec via non ineunda videbatur, non solum quia singuli textus diversas plerumque paenitentiae partes attingunt, unde tractatus continuos discerpere aut eosdem inutiliter iterare necesse fuisset, sed etiam ut finitis nondum controversiis ipsa textuum compositione meae ipsius me favisse sententiae suspicionem vitarem. Qua de causa ordinem simpliciter editionis Maurinorum secutus sum, praepositis quidem duobus tractatibus uberioribus, qui coniuncti medullam quandam doctrinae Augustini exhibentes idonei videntur, a quibus tamquam a fundamento exordium sumat disquisitio ceteris textibus amplificanda atque supplenda. Quorum tractatuum alter est pars ea „Enchiridii", in qua S. doctor symboli articulum de remissione peccatorum exponit (cap. 17—23), alter sermo 351 usum praecipue atque disciplinam paenitendi collustrans. Ut tamen, quae idearum conexione iungenda sint, facilius cognoscantur, textus de iisdem vel similibus agentes singulis quibusque locis ad paginae calcem notare studui. Maximam autem textibus breviter explicandis operam dedi, idque quia et in optatis erat „Florilegii" editoribus, et quia disser-

tatio, in qua anno 1923 quaestionem hanc disputavi, vixdum in promptu est.

Textus, quoties poteram, ex editione Vindobonensi hausi, ceteros ex editione Maurinorum in Patrologia Latina reproducta sumpsi, adhibita tamen aequa in omnibus hodiernoque usui adaptata orthographia et interpunctione.

Investigandae Augustini de paenitentia doctrinae hisce temporibus prae aliis profuerunt: F. Hünermann, Die Bußlehre des hl. Augustinus, Paderborn 1914; K. Adam, Die kirchliche Sündenvergebung nach dem hl. Augustin, Paderborn 1917; idem, Die geheime Kirchenbuße nach dem hl. Augustin. Eine Auseinandersetzung mit B. Poschmann, Kempten 1921; B. Poschmann, Hat Augustinus die Privatbuße eingeführt? Braunsberg 1920; idem, Die kirchliche Vermittlung der Sündenvergebung nach Augustinus, in: Zeitschrift für kath. Theologie 45 (1921), p. 208—28, 405—32, 497—526); idem, Kirchenbuße und correptio secreta bei Augustinus, Braunsberg 1923; P. Galtier, L'église et la rémission des péchés aux premiers siècles, Paris 1932, p. 303 usque 381; J. A. Jungmann, Die lateinischen Bußriten in ihrer geschichtlichen Entwicklung, Innsbruck 1932, p. 295 sqq. [De duobus libris posterioribus cf. Theologische Revue 32 (1933), p. 259—72]. — Ampliorem bibliographiam invenies apud E. Amann, in: Dictionnaire de Théologie Catholique sub art. Pénitence, Tom. 12 (1933), p. 844 sqq.

TITULI ABBREVIATI

Adam I	=	K. Adam, Die kirchliche Sündenvergebung nach dem hl. Augustin, 1917.
Adam II	=	K. Adam, Die geheime Kirchenbuße nach dem hl. Augustin, 1921.
AK	=	B. Poschmann, Die abendländische Kirchenbuße im Ausgang des christlichen Altertums, 1928.
CSEL	=	Corpus scriptorum ecclesiasticorum Latinorum.
KC	=	B. Poschmann, Kirchenbuße und correptio secreta bei Augustinus, 1923.
Mansi	=	S. conciliorum nova et ampliss. collectio, ed. a Domin. Mansi, 1759 sqq.
Misc. Ag. I	=	Miscellanea Agostiniana Vol. I. Sancti Augustini sermones post Maurinos reperti, ed. a G. Morin 1930.
PL	=	Patrologia Latina, editio P. Migne.
ZkTh	=	B. Poschmann, Die kirchliche Vermittlung der Sündenvergebung nach Augustinus, in: Zeitschrift für kath. Theologie 45 (1921).

ENCHIRIDION, Cap. 64 (17) — Cap. 83 (22). [P. L. 40, 262—272][1].

Cap. 64. — 17. Concordant autem nobiscum angeli etiam nunc, cum remittuntur nostra peccata. Ideo post commemorationem sanctae ecclesiae in ordine confessionis ponitur remissio peccatorum. Per hanc enim stat ecclesia, quae in terris est; per hanc non perit, quod perierat et inventum est (Lc. 15, 24). Excepto quippe baptismatis munere, quod contra originale peccatum donatum est, ut quod generatione attractum est, regeneratione detrahatur, et tamen activa quoque peccata, quaecumque corde, ore, opere commissa invenerit, tollit: hac ergo excepta magna indulgentia, unde incipit hominis renovatio, in qua solvitur omnis reatus et ingeneratus et additus, ipsa etiam vita cetera iam ratione utentis aetatis, quantalibet praepolleat fecunditate iustitiae, sine peccatorum remissione non agitur. Quoniam filii Dei, quamdiu mortaliter vivunt, cum morte confligunt. Et quamvis de illis sit veraciter dictum: *Quotquot spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (Rom. 8, 14), sic tamen spiritu Dei excitantur et tamquam filii Dei proficiunt ad Deum, ut etiam spiritu suo, maxime aggravante corruptibili corpore (Sap. 9, 15), tamquam filii hominum quibusdam humanis motibus deficiant ad se ipsos et ideo peccent. Interest quidem quantum; neque enim quia peccatum est omne crimen, ideo crimen est etiam omne peccatum. Itaque sanctorum hominum vitam, quamdiu in hac mortali vivitur, inveniri posse dicimus sine crimine; *peccatum* autem *si dixerimus quia non habemus*, ait tantus apostolus, *nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (1 Jo. 1, 8).

[1] Liber hic, scriptus circiter anno 421, ab ipso Augustino Enchiridion appellatus est, quippe qui ut summa quaedam doctrinae christianae lectori semper in manibus esset. Hanc autem S. doctor revocans ad tria haec: quid credi, quid sperari, quid amari debeat, unde et librum de fide, spe et caritate opusculum nominat, prima quidem et maxima libri parte, quae credenda sint, servato symboli ordine docet. In quo remissio peccatorum subiungitur confessioni ecclesiae, cuius et pars terrena et pars caelestis describitur. Inde est, quod ab angelis textus noster proficiscitur.

Inter editiones laudentur, quas recensuerunt J. G. Krabinger, Tuebingae 1861, et hunc generaliter sequens O. Scheel, ibid. 1903; 2. ed. 1930 (Sammlung ausgewählter kirchen- und dogmengeschichtlicher Quellenschriften, herausgegeben von G. Krüger, II, 4).

Cap. 65. Sed neque de ipsis criminibus quamlibet magnis remittendis in sancta ecclesia Dei misericordia desperanda est agentibus paenitentiam secundum modum sui cuiusque peccati. In actione autem paenitentiae, ubi tale commissum est, ut is, qui commisit, a Christi etiam corpore separetur [1], non tam consideranda est mensura temporis quam doloris. *Cor enim contritum et humiliatum Deus non spernit* (Ps. 50, 19). Vero quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri neque in aliorum notitiam per verba vel quaecumque alia signa procedit, cum sit coram illo, cui dicitur: *Gemitus meus a te non est absconditus* (Ps. 37, 10), recte constituuntur ab iis, qui ecclesiis praesunt, tempora paenitentiae, ut fiat satis etiam ecclesiae, in qua remittuntur ipsa peccata; extra eam quippe non remittuntur [2]. Ipsa namque proprie Spiritum sanctum pignus accepit (2 Cor. 1, 22), sine quo non remittuntur ulla peccata, ita ut quibus remittuntur, vitam consequantur aeternam [3].

Cap. 66. Magis enim propter futurum iudicium fit remissio peccatorum [4]. In hac autem vita usque adeo valet, quod scriptum est: *Grave iugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturae in matrem omnium* (Eccli. 40, 1), ut etiam parvulos videamus post lavacrum regenerationis diversorum malorum afflictione cruciari, ut intelligamus totum, quod salutaribus agitur sacramentis, magis ad spem venturorum bonorum quam ad retentionem vel adeptionem praesentium pertinere. Multa etiam hic videntur ignosci et nullis suppliciis vindicari; sed eorum poenae reservantur in

---

[1] Separatio a corpore Christi vel excommunicatio contrahitur iisdem peccatis gravibus vel criminibus, quibus et paenitentia proprie dicta debetur. Unde excommunicare et postea reconciliare, vel quod idem est, ligare et solvere huius paenitentiae proprium esse Augustinus persaepe pronuntiat (cf. serm. 351, 4, 7; ep. 265, 7; serm. 56, 8; 59, 4, 7; 352, 3, 8; De fid. et op. 26, 48; De symb. 7, 15). Vocatur hoc paenitentiae genus ab Augustino „paenitentia humilior" (De fid. et op. 19, 34), „humillima" (ep. 153, 7), „luctuosa et lamentabilis" (De div. quaest. 83, 26), „maior et insignior" (ep. 151, 9), „gravior atque luctuosior" (serm. 352, 3, 8), sed et „paenitentia, quae instituta est in ecclesia" (serm. 352, 3, 9) vel „paenitentia, qualis agitur in ecclesia" (serm. 392, 3). Qui eam agunt, sunt „proprie paenitentes" (ep. 265, 7; serm. 352, 3, 8; De fide et op. 26, 48).

[2] Sensus est: Etiamsi paenitentia ipsa non tam mensuranda est ex tempore, per quod agitur, quam ex magnitudine doloris, tamen praepositi ecclesiae certa paenitentiae tempora recte constituunt, quia notitiam cordis non habentes gradum singulorum doloris cognoscere non possunt, et quia tali paenitentia ab ecclesia iniuncta satis fit ipsi etiam ecclesiae, in qua peccata remittuntur. Cf. KC p. 26 sqq. contra Adam II p. 66 et Galtier, L'église et la rémission des péchés, p. 360 sqq., qui locum hunc sic interpretantur, ut paenitentiam temporibus fixam, id est paenitentiam proprie dictam nonnisi pro criminibus publicis ad removenda scandala impositam esse dicant.

[3] Cf. infra serm. 71.

[4] Id est magis quam ad avertenda mala huius vitae.

posterum. Neque enim frustra ille proprie dicitur dies iudicii, quando venturus est iudex vivorum atque mortuorum. Sicut e contrario vindicantur hic aliqua, et tamen, si remittuntur, profecto in futuro saeculo non nocebunt. Propterea de quibusdam temporalibus poenis, quae in hac vita peccantibus irrogantur, eis, quorum peccata delentur, ne reserventur in finem, ait apostolus: *Si enim nos ipsos iudicaremus, a Domino non iudicaremur; cum iudicamur autem a Domino, corripimur, ne cum hoc mundo damnemur* (1 Cor. 11, 31. 32).

Cap. 67. — 18. Creduntur autem a quibusdam etiam ii, qui nomen Christi non relinquunt et eius lavacro in ecclesia baptizantur nec ab ea ullo schismate vel haeresi praeciduntur, in quantislibet sceleribus vivant, quae nec diluant paenitendo nec eleemosynis redimant, sed in eis usque ad huius vitae ultimum diem pertinacissime perseverent, salvi futuri per ignem, licet pro magnitudine facinorum flagitiorumque diuturno, non tamen aeterno igne puniti [1]. Sed qui hoc credunt, et tamen catholici sunt [2], humana quadam benevolentia mihi falli videntur. Nam scriptura divina aliud consulta respondet. Librum autem de hac quaestione conscripsi, cuius titulus est: de fide et operibus [3], ubi secundum scripturas sanctas, quantum Deo adiuvante potui, demonstravi eam fidem salvos facere, quam satis evidenter expressit Paulus apostolus dicens: *In Christo enim Jesu neque circumcisio quidquam valet neque praeputium, sed fides, quae per dilectionem operatur* (Gal. 5, 6). Si autem male et non bene operatur, procul dubio secundum apostolum Jacobum *mortua est in semetipsa* (Jac. 2, 17). Qui rursus ait: *Si fidem dicat se quis habere, opera autem non habeat, numquid poterit fides salvare eum* (Jac. 2, 14)? Porro autem si homo sceleratus propter fidem solam per ignem salvabitur, et sic est accipiendum, quod ait beatus Paulus: *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* (1 Cor. 3, 15), poterit ergo salvare sine operibus fides, et falsum erit, quod dixit eius coapostolus Jacobus. Falsum erit et illud, quod idem ipse Paulus dixit: *Nolite*, inquit, *errare; neque fornicatores neque idolis servientes neque adulteri neque molles neque masculorum concubitores neque fures neque avari neque ebriosi neque maledici neque rapaces regnum Dei possidebunt* (1 Cor. 6, 9. 10). Si enim etiam in istis

[1] Ita recte Scheel, cum Maurini ex MSS retinuerint „puniri", quamvis ipsi quoque forte reponendum putent „puniti vel puniendi". Revocat autem Scheel (p. 78) ad eiusdem Augustini opusculum de octo Dulcitii quaestionibus, quod Enchiridii capitula 67—69 verbotenus reddens item habet „igne puniti" (PL 40 p. 154 n. 10).

[2] Nomina istorum, quos non hic tantum et in libro de fide et operibus, sed etiam in libro 21 de civitate Dei (cap. 17 sqq.) reprehendit, Augustinus semper tacet. Ambrosium autem necnon Hieronymum errori illi favisse nonnulli opinantur. Vid. Tixeront, Histoire des dogmes II [7], 1924 p. 341 sq. et 347 sq. Rauschen-Altaner, Patrologie [19], 1931 p. 299 sq. et 312 sq.

[3] PL 40 p. 197—230.

perseverantes criminibus tamen propter fidem Christi salvi erunt, quomodo in regno Dei non erunt?

Cap. 68. Sed quia haec apostolica manifestissima et apertissima testimonia falsa esse non possunt, illud, quod obscure dictum est de iis, qui *superaedificant super fundamentum*, quod est Christus, non *aurum, argentum, lapides pretiosos*, sed *ligna, fenum, stipulam* — de his enim dictum est, quod per ignem salvi erunt, quoniam fundamenti merito non peribunt —, sic intelligendum est, ut his manifestis non inveniatur esse contrarium. Ligna quippe et fenum et stipula non absurde accipi possunt rerum saecularium, quamvis licite concessarum, tales cupiditates, ut amitti sine animi dolore non possint. Cum autem iste dolor urit, si Christus in corde fundamenti habet locum, id est, ut ei nihil anteponatur, et malit homo, qui tali dolore uritur, rebus, quas ita diligit, magis carere quam Christo, per ignem fit salvus. Si autem res eiusmodi temporales ac saeculares tempore tentationis maluerit tenere quam Christum, eum in fundamento non habuit, quia haec priore loco habuit, cum in aedificio prius non sit aliquid fundamento. Ignis enim, de quo eo loco locutus est apostolus, talis debet intelligi, ut ambo per eum transeant, id est et qui *aedificat super hoc fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos*, et qui aedificat *ligna, fenum et stipulam*. Cum enim hoc dixisset, adiunxit: *Uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus permanserit, quod superaedificavit, mercedem accipiet. Si cuius autem opus exustum fuerit, damnum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* (1 Cor. 3, 12—15). Non ergo unius eorum, sed utriusque opus ignis probabit. Est quidam ignis tentatio tribulationis, de quo aperte alio loco scriptum est: *Vasa figuli probat fornax et homines iustos tentatio tribulationis* (Eccli. 27, 6). Iste ignis in hac interim vita facit, quod apostolus dixit, si accidat duobus fidelibus, uni scilicet cogitanti, quae Dei sunt, quomodo placeat Deo, hoc est aedificanti super Christum fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos, alteri autem cogitanti ea, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori (1 Cor. 7, 32. 33), id est aedificanti super idem fundamentum ligna, fenum, stipulam. Illius enim opus non exuritur, quia non ea dilexit, quorum amissione crucietur; exuritur autem huius, quoniam sine dolore non pereunt, quae cum amore possessa sunt. Sed quoniam alterutra conditione proposita eis potius carere mallet quam Christo nec timore amittendi talia deserit Christum, quamvis doleat, cum amittit, *salvus est* quidem, *sic tamen quasi per ignem*, quia urit eum rerum dolor, quas dilexerat, amissarum, sed non subvertit neque consumit fundamenti stabilitate atque incorruptione munitum [1].

[1] Eodem modo Augustinus locum 1 Cor. 3, 11 sqq. interpretatur De fid. et op. 16 (27); De civ. Dei 21, 26; En. in Ps. 29, serm. 2, 9; En. in Ps. 80, 21.

Cap. 69. Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri incredibile non est, et utrum ita sit, quaeri potest: et aut inveniri aut latere nonnullos fideles per ignem quendam purgatorium, quanto magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusque salvari; non tamen tales, de quibus dictum est, quod *regnum Dei non possidebunt* (1 Cor. 6, 10), nisi convenienter paenitentibus eadem crimina remittantur [1]. Convenienter autem dixi, ut steriles in eleemosynis non sint, quibus tantum tribuit scriptura divina, ut earum tantummodo fructum se imputaturum praenuntiet Dominus dextris et earum tantummodo sterilitatem sinistris, quando his dicturus est: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum*, illis autem: *Ite in ignem aeternum* (Mt. 25, 34).

Cap. 70. — 19. Sane cavendum est, ne quisquam existimet infanda illa crimina, qualia qui agunt, regnum Dei non possidebunt, quotidie perpetranda et eleemosynis quotidie redimenda. In melius quippe est vita mutanda, et per eleemosynas de peccatis praeteritis est propitiandus Deus; non ad hoc emendus quodam modo, ut ea semper liceat impune committere. *Nemini* enim *dedit laxamentum peccandi* (Eccli. 15, 21), quamvis miserando deleat iam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur.

Cap. 71. De quotidianis autem brevibus levibusque peccatis, sine quibus haec vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit. Eorum est enim dicere: *Pater noster, qui es in caelis* (Mt. 6, 9), qui iam Patri tali regenerati sunt ex aqua et Spiritu (Jo. 3, 5). Delet omnino haec oratio minima et quotidiana peccata. Delet et illa, a quibus vita fidelium etiam scelerate gesta, sed paenitendo in melius mutata discedit, si, quemadmodum veraciter dicitur: *Dimitte nobis debita nostra*, quoniam non desunt, quae dimittantur, ita veraciter dicatur: *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (Mt. 6, 12), id est, si fiat, quod dicitur; quia et ipsa eleemosyna est veniam petenti homini ignoscere.

Cap. 72. Ac per hoc ad omnia, quae utili misericordia fiunt, valet, quod Dominus ait: *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (Lc. 11, 41). Non solum ergo qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, aegroto vel incluso visitationem, captivo redemptionem, debili subvectionem,

[1] Cf. De civ. Dei 21, 26, 4: „Post istius sane corporis mortem, donec ad illum veniatur, qui post resurrectionem corporum futurus est damnationis et remunerationis ultimus dies, si hoc temporis intervallo spiritus defunctorum eiusmodi ignem dicuntur perpeti, quem non sentiant illi, qui non habuerunt tales mores et amores in huius corporis vita, ut eorum ligna, fenum, stipula consumatur, alii vero sentiant, qui eiusmodi secum aedificia portaverunt, sive ibi tantum, sive et hic et ibi, sive ideo hic, ut non ibi, saecularia, quamvis a damnatione venialia, concremantem ignem transitoriae tribulationis inveniant, non redarguo, quia forsitan verum est".

caeco deductionem, tristi consolationem, non sano medelam, erranti viam, deliberanti consilium, et quod cuique necessarium est indigenti; verum etiam qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat; et qui emendat verbere, in quem potestas datur, vel coercet aliqua disciplina, et tamen peccatum eius, quo ab illo laesus aut offensus est, dimittit ex corde vel orat, ut ei dimittatur, non solum in eo, quod dimittit atque orat, verum etiam in eo, quod corripit et aliqua emendatoria poena plectit, eleemosynam dat, quia misericordiam praestat. Multa enim bona praestantur invitis, quando eorum consulitur utilitati, non voluntati, quia ipsi sibi inveniuntur esse inimici, amici vero eorum potius illi, quos inimicos putant; et reddunt errando mala pro bonis, cum reddere mala christianus non debeat nec pro malis. Multa igitur genera sunt eleemosynarum, quae cum facimus, adiuvamur, ut dimittantur nostra peccata.

Cap. 73. Sed ea nihil est maius, qua ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccavit. Minus enim magnum est erga eum esse benevolum sive etiam beneficum, qui tibi mali nihil fecerit; illud multo grandius et magnificentissimae bonitatis est, ut tuum quoque inimicum diligas et ei, qui tibi malum vult et, si potest, facit, tu bonum semper velis faciasque, cum possis, audiens dicentem Deum: *Diligite inimicos vestros, bene facite eis, qui vos oderunt, et orate pro eis, qui vos persequuntur* (Mt. 5, 44). Sed quoniam perfectorum sunt ista filiorum Dei, quo quidem se debet omnis fidelis extendere et humanum animum ad hunc affectum orando Deum secumque agendo luctandoque perducere, tamen quia hoc tam magnum bonum tantae multitudinis non est, quantam credimus exaudiri, cum in oratione dicitur: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (Mt. 6, 12), procul dubio verba sponsionis huius implentur, si homo, qui nondum ita profecit, ut iam diligat inimicum, tamen quando rogatur ab homine, qui peccavit in eum, ut ei dimittat, dimittit ex corde, quia etiam sibi roganti utique vult dimitti, cum orat et dicit: *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, id est, sic dimitte debita nostra rogantibus nobis, sicut et nos dimittimus rogantibus debitoribus nostris.

Cap. 74. Jam vero qui eum, in quem peccavit, hominem rogat, si peccato suo movetur, ut roget, non est adhuc deputandus inimicus, ut eum diligere sit difficile, sicut difficile erat, quando inimicitias exercebat. Quisquis autem roganti et peccati sui paenitenti non ex corde dimittit, nullo modo existimet a Domino sua peccata dimitti, quoniam mentiri veritas non potest. Quem vero lateat evangelii auditorem sive lectorem, quis dixerit: *Ego sum veritas* (Jo. 14, 6)? Qui cum docuisset orationem, hanc in ea positam sententiam vehementer commendavit dicens: *Si enim dimiseritis hominibus peccata*

eorum, dimittet et vobis Pater vester caelestis peccata vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet peccata vestra (Mt. 6, 14. 15). Ad tam magnum tonitruum qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est; et tamen potens est ille etiam mortuos suscitare [1].

Cap. 75. — 20. Sane qui sceleratissime vivunt nec curant talem vitam moresque corrigere et inter ipsa facinora et flagitia sua eleemosynas frequentare non cessant, frustra ideo sibi blandiuntur, quoniam Dominus ait: *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (Lc. 11, 41). Hoc enim quam late pateat, non intelligunt [2] . . .

Cap. 77. Non ergo se fallant, qui per eleemosynas quaslibet largissimas fructuum suorum vel cuiuscumque pecuniae impunitatem se emere existimant in facinorum immanitate ac flagitiorum nequitia permanendi; non solum enim haec faciunt, sed ita diligunt, ut in eis semper optent, tantum si possint impune, versari. *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam* (Ps. 10, 6); et qui odit animam suam, non est in eam misericors, sed crudelis. Diligendo eam quippe secundum saeculum odit eam secundum Deum. Si ergo vellet ei dare eleemosynam, per quam illi essent munda omnia, odisset eam secundum saeculum et diligeret secundum Deum. Nemo autem dat eleemosynam qualemlibet, nisi unde det, ab illo accipiat, qui non eget; ideo dictum est: *Misericordia eius praeveniet me* (Ps. 58, 11).

Cap. 78. — 21. Quae sint autem levia, quae gravia peccata, non humano, sed divino sunt pensanda iudicio [3]. Videmus enim quaedam ab ipsis quoque apostolis ignoscendo fuisse concessa, quale illud est, quod venerabilis Paulus coniugibus ait: *Nolite fraudare invicem nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum ad idipsum estote, ne vos tentet satanas propter incontinentiam vestram* (1 Cor. 7, 5); quod putari posset non esse peccatum, misceri scilicet coniugi non filiorum procreandorum causa, quod bonum est nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis, ut fornicationis sive adulterii sive cuiusquam alterius immunditiae mortiferum malum, quod turpe est etiam dicere, quo potest tentante satana libido pertrahere, incontinentium devitet infirmitas. Posset ergo, ut dixi, hoc putari non esse peccatum, nisi addidisset: *Hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium* (1 Cor. 7, 6). Quis autem iam esse peccatum neget, cum dari veniam facientibus apostolica auctoritate fateatur [4]? Tale quiddam est, ubi

[1] Augustinus hanc gratiae suscitantis potentiam allegoria Domini magna voce Lazarum de sepulcro vocantis illustrare amat. Cf. In Jo. tr. 49, 24 infra p. 44 et ann. 1.

[2] Sequitur huius dicti interpretatio longe arcessita ad refellendum argumentum ex eo sumptum.

[3] Divinum iudicium = iudicium sacrae scripturae.

[4] Hanc severam quoad usum matrimonii sententiam, quae cum plurimis Patri-

dicit: *Audet quisquam vestrum adversus alterum negotium habens iudicari apud iniquos, et non apud sanctos* (1 Cor. 6, 1)? Et paulo post: *Saecularia igitur iudicia si habueritis*, inquit, *eos, qui contemptibiles sunt in ecclesia, hos collocate. Ad reverentiam vobis dico: sic non est inter vos quisquam sapiens, qui possit inter fratrem suum iudicare? sed frater cum fratre iudicatur, et hoc apud infideles* (1 Cor. 6, 4—6)! Nam et hic posset putari iudicium habere adversus alterum non esse peccatum, sed tantummodo id extra ecclesiam velle iudicari, nisi secutus adiungeret: *Jam quidem omnino delictum est, quia iudicia habetis vobiscum* (1 Cor. 6, 7). Et ne quisquam hoc ita excusaret, ut diceret iustum se habere negotium, sed iniquitatem se pati, quam vellet a se iudicum sententia removeri, continuo talibus cogitationibus vel excusationibus occurrit atque ait: *Quare non magis iniquitatem patimini? quare non potius fraudamini* (1 Cor. 6, 7)? Ut ad illud redeatur, quod Dominus ait: *Si quis voluerit tunicam tuam tollere et iudicio tecum contendere, dimitte illi et pallium* (Mt. 5, 40). Et alio loco: *Qui abstulerit*, inquit, *tua, noli repetere* (Lc. 6, 30). Prohibuit itaque suos de saecularibus rebus cum aliis hominibus habere iudicium; ex qua doctrina apostolus dicit esse delictum. Tamen cum sinit in ecclesia talia iudicia finiri inter fratres fratribus iudicantibus, extra ecclesiam vero terribiliter vetat, manifestum est etiam hic, quid secundum veniam concedatur infirmis. Propter haec atque huiusmodi peccata et alia, licet his minora, quae fiunt verborum et cogitationum offensionibus, apostolo Jacobo confitente ac dicente: *In multis offendimus omnes* (Jac. 3, 2), oportet, ut quotidie crebroque oremus Dominum atque dicamus: *Dimitte nobis debita nostra*, nec in eo, quod sequitur, mentiamur: *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (Mt. 6, 12).

Cap. 79. Sunt autem quaedam, quae levissima putarentur, nisi in scripturis sanctis demonstrarentur opinione graviora. Quis enim dicentem fratri suo „*fatue*" reum gehennae putaret, nisi veritas diceret? Cui tamen vulneri subiecit continuo medicinam praeceptum fraternae reconciliationis adiungens; mox quippe ait: *Si ergo offers*

---

bus ei communis erat (cf. D. Lindner, Der Usus matrimonii, 1929, p. 57 sqq.), Augustinus saepius ut rem certissimam profert. De bono coniug. 6: „Coniugalis enim concubitus generandi gratia non habet culpam, concupiscentiae vero satiandae, sed tamen cum coniuge, propter tori fidem venialem habet culpam." Ibid. 11, 15; De bono vid. 5; De nupt. et conc. 1, 16. 17; C. Jul. Pel. 3, 43; De doctr. christ. 3, 27; serm. 278, 9. — Attamen non recte eum interpretari textum illum 1 Cor. 7, 6 manifestum est. „Secundum veniam" vel, ut in Vulgata legitur, „secundum indulgentiam" (*κατὰ συγγνώμην*) dicere nihil aliud significat nisi aliquid minus perfectum concedere. Quod autem quomodocumque concessum vel permissum est, peccatum esse non potest.

munus tuum ad altare et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te etc. (Mt. 5, 22. 23) [1]. Aut quis aestimaret, quam magnum peccatum sit dies observare et menses et annos et tempora, sicut observant, qui certis diebus sive mensibus sive annis volunt vel nolunt aliquid inchoare, eo quod secundum vanas doctrinas hominum fausta vel infausta existiment tempora, nisi huius mali magnitudinem ex timore apostoli pensaremus, qui talibus ait: *Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis* (Gal. 4, 11) [2]?

Cap. 80. Huc accedit, quod peccata, quamvis magna et horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva aut nulla esse creduntur; usque adeo, ut non solum non occultanda, verum etiam praedicanda ac diffamanda videantur, quando, sicut scriptum est: *Laudatur peccator in desideriis animae suae, et qui iniqua gerit, benedicitur* (Ps. 9, 24). Talis in divinis libris iniquitas clamor vocatur. Sicut habes apud Isaiam prophetam de vinea mala: *Exspectavi*, inquit, *ut faceret iudicium, fecit autem iniquitatem et non iustitiam, sed clamorem* (Is. 5, 7). Unde est et illud in Genesi: *Clamor Sodomorum et Gomorrhaeorum multiplicatus est* (Gen. 18, 20). Quia non solum iam apud eos non puniebantur illa flagitia, verum etiam publice veluti lege frequentabantur. Sic nostris temporibus ita multa mala, etsi non talia, in apertam consuetudinem iam venerunt, ut pro his non solum excommunicare aliquem laicum non audeamus, sed nec clericum degradare [3]. Unde cum exponerem ante aliquot annos epistolam ad Galatas, in eo ipso loco, ubi ait apostolus: *Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis* (Gal. 4, 11), exclamare compulsus sum: „Vae peccatis hominum, quae sola inusitata exhorrescimus; usitata vero, pro quibus abluendis Filii Dei sanguis effusus est, quamvis tam magna sint, ut omnino claudi contra se faciant regnum Dei, saepe videndo omnia tolerare, saepe tolerando nonnulla etiam facere cogimur! Atque utinam, o Domine, non omnia, quae non potuerimus prohibere, faciamus!“ [4] Sed videro, utrum me immoderatus dolor incaute aliquid compulerit dicere.

Cap. 81. — 22. Hoc nunc dicam, quod quidem et in aliis opusculorum meorum locis saepe iam dixi [5]. Duabus ex causis peccamus,

---

[1] Cf. serm. 82, 3, 5: „Peccasti in fratrem: fac satis et sanatus es. Cito fecisti mortiferam rem, sed remedium cito invenisti. . . . Ecce ille reatus gehennae quam cito solutus est. Nondum reconciliatus eras gehennae reus; reconciliatus securus offers munus tuum ad altare.“

[2] Cf. ep. 55, 6, 12. 13.

[3] Cf. Contr. ep. Parm. 3, 13 sq.; ep. 95, 3; 17; serm. 17, 3.

[4] Expos. ad Gal. 35.

[5] Vid. Quaest. in Heptateuch. 4, 24 sq.; De lib. arb. 3, 18, 50 sqq.; De div. quaest. 83, 26; De pecc. mer. et rem. 1, 39, 70; ibid. 2, 17, 26; De nat. et grat. 67, 81; Contr. duas ep. Pel. 3, 7; ibid. 13, 27.

aut nondum videndo, quid facere debeamus, aut non faciendo, quod debere fieri iam videmus: quorum duorum illud ignorantiae malum est, hoc infirmitatis. Contra quae quidem pugnare nos convenit; sed profecto vincimur, nisi divinitus adiuvemur, ut non solum videamus, quid faciendum sit, sed etiam accedente sanitate delectatio iustitiae vincat in nobis earum rerum delectationes, quas vel habere cupiendo vel amittere metuendo scientes videntesque peccamus iam non solum peccatores, quod eramus, etiam cum per ignorantiam peccabamus, verum etiam legis praevaricatores, cum id non facimus, quod faciendum, vel facimus, quod non faciendum esse iam scimus. Quapropter non solum si peccavimus, ut ignoscat, propter quod dicimus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (Mt. 6, 12), verum etiam ne peccemus, ut regat, propter quod dicimus: *Ne nos inferas in tentationem* (Mt. 6, 13), ille rogandus est, cui dicitur in Psalmo: *Dominus illuminatio mea et salus mea* (Ps. 26, 1), ut illuminatio detrahat ignorantiam, salus infirmitatem.

Cap. 82. Nam et ipsa paenitentia, quando digna causa est secundum morem ecclesiae, cur agatur [1], plerumque infirmitate non agitur, quia et pudor timor est displicendi, dum plus delectat hominum existimatio quam iustitia, qua se quisque humiliat paenitendo [2]. Unde non solum cum agitur paenitentia, verum etiam ut agatur, Dei misericordia necessaria est. Alioquin non diceret apostolus de quibusdam: *Ne forte det illis Deus paenitentiam* (2 Tim. 2, 25). Et ut Petrus amare fleret, praemisit evangelista et ait: *Respexit eum Dominus* (Lc. 22, 61).

Cap. 83. Qui vero in ecclesia remitti peccata non credens contemnit

[1] Quae singula delicta paenitentia maiore expianda essent, difficillimum erat finire. Generatim Augustinus peccatis gravibus vel mortiferis, quae a regno Dei excludere sacra scriptura (1 Cor. 6, 9 sq.; Gal. 5, 19 sq.) dicat, illam deberi docet (cf. serm. 351, 7; De fid. et op. 26, 48); quae talia enumerat in serm. 56, 8, 12; serm. 224, 1; De catech. rud. 25, 48. Aperte reprobat quorundam sententiam, qui tria tantum crimina esse mortifera putent (Speculum de script. sacr. 29, ad Act. 15, 20 sq.). Quamquam nonnulla, quae scriptura declarat mortifera, ut iniurias quasdam proximo factas (Enchir. 79, 21; serm. 82, 3, 5; 4, 7), et alio modo sanari concedit. Certam sane et proximam iniungendae paenitentiae normam usum moremque habet ecclesiae. Cf. Enchir. 65, 17: „ubi tale commissum est, ut is, qui commisit, a Christi etiam corpore separetur"; ep. 265, 7: „si post baptismum ita peccaverint, ut excommunicari et postea reconciliari mereantur"; De symb. 7, 15: „nolite ea committere, pro quibus necesse est, ut a Christi corpore separemini."

[2] Humiliari ergo coram hominibus ad ipsam „humilis paenitentiae" naturam pertinet, unde magis minusve publice eam actam esse videmus. Cf. serm. 278, 12, infra p. 67 et ann. 4. — Homines pudore saepissime a paenitentia detineri iam Tertullianus conquestus erat. De paen. 10: „Plerosque tamen hoc opus ut publicationem sui aut suffugere aut de die in diem differre praesumo, pudoris magis memores quam salutis."

tantam divini muneris largitatem et in hac obstinatione mentis diem claudit extremum, reus est illo irremissibili peccato in Spiritum sanctum, in quo Christus peccata dimittit. De qua quaestione difficili in quodam propter hoc solum conscripto libello enucleatissime, quantum potui, disputavi [1].

SERMO 351 [P. L. 39, 1535—1549] [2].

Cap. 1. — 1. Quam sit utilis et necessaria paenitentiae medicina, facillime homines intelligunt, qui se homines esse meminerunt. Scriptum est enim: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (Jac. 4, 6). Et Dominus in evangelio dicit: *Quoniam qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur;* magisque iustificatus descendit de templo publicanus ille peccatorum confessione sollicitus quam pharisaeus meritorum enumeratione securus. Quamvis enim et ipse gratias egerit Deo dicens: *Gratias tibi ago, Deus, quoniam non sum sicut ceteri homines, iniusti, adulteri, raptores, quomodo et publicanus iste. Jeiuno bis in sabbato, decimas do omnium, quaecumque possideo:* tamen ei praelatus est ille, qui *de longinquo stabat neque oculos audebat ad caelum levare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori* (Lc. 18, 10—14). Non enim ille pharisaeus tam sua sanitate quam morborum alienorum comparatione gaudebat. Utilius autem illi erat, quoniam ad medicum venerat, ea, de quibus aegrotabat, confitendo monstrare quam dissimulare

[1] Qui libellus sermo 71 esse videtur. Cf. infra p. 52 ann. 1.

[2] Sermonem hunc et sequentem 352 auctore Erasmo, qui eos plurimum discrepare ab Augustino censuit, multi Augustino attribuere dubitant. E contra editores Maurini ipsius sane et doctrinam et stilum eos habere iudicaverunt (PL 39, 1535 ann. b). Erasmum secuti sunt Portalié (Dictionnaire de Théol. Cath. I 2310), Vacandard (Études de critique et d'hist. rel. 1910, p. 98), Tixeront (Hist. des dogmes [7], 1924, p. 421 ann. 2), cum genuinum esse sermonem affirment Loofs (Lehrbuch der Dogmengesch.[4], 1906, p. 342), Seeberg (Lehrbuch der Dogmengesch.[3], 1923, p. 385 ann. 3), Hünermann (l. c. p. 20 sq. ann. 1), Adam (I p. 7 sqq. ann. 1). Postremo Batiffol rem fusius in quaestionem vocans, cum sermonem 352 sine ulla dubitatione Augustino tribuendum esse censeat, sermonem 351 et stilo et modo ratiocinandi et doctrina a doctore Hipponensi omnino alienum ipsoque inferiorem esse probare studuit (Études d'hist. et de théol. positive [6], 1920, p. 337 ad 368), quod tamen iudicium omni fundamento carere ipse ostendi (Die Echtheit des augustinischen Sermo 351, Revue Bénédictine 1934, p. 1 sqq.). Revera non solum nihil obstat, quominus tractatus Augustino adiudicetur, sed omnia etiam hoc postulant, sive fidei ac morum doctrinam aut usum ecclesiasticum, sive exponendae modum scripturae, sive ipsius loquendi rationem dicendique formulas aut exempla ad illustrandam doctrinam allata examinas. — Habitus est sermo a S. doctore maturiore aetate, cum Pelagianae Donatisticaeque controversiae iam defervuerant.

a vulneribus suis et de cicatricibus alienis audere gloriari. Non ergo mirum, si publicanus magis curatus abscessit, quem non puduit ostendere, quod dolebat. In rebus quippe visibilibus, ut excelsa quisque contingat, in excelsum erigitur; Deus autem, cum sit omnium excellentissimus, non elatione, sed humilitate contingitur. Unde propheta dicit: *Prope est Dominus his, qui obtriverunt cor* (Ps. 33, 19). Et iterum: *Excelsus Dominus et humilia respicit et excelsa a longe cognoscit* (Ps. 137, 6). Excelsa ipsa posuit pro superbis. Illa ergo respicit, ut attollat; ista cognoscit, ut deiciat. Cum enim ait, quod *a longe excelsa cognoscit*, satis eum ostendit humilia de proximo attendere; ipsum tamen Dominum excelsum esse praedixit. Solus enim Deus arrogans non est, quantacumque se praedicatione laudaverit. Non ergo se arbitretur ab oculis Dei abscondi superbia; Deus enim excelsa cognoscit. Nec se rursus Deo coniunctam putet; excelsa enim a longe cognoscit. Quisquis itaque paenitentiae recusat humilitatem, Deo propinquare non cogitat. Aliud est enim levare se ad Deum, aliud est levare se contra Deum. Qui ante illum se proicit, ab illo erigitur; qui adversus illum se erigit, ab illo proicitur. Alia est enim soliditas magnitudinis, alia est inanitas inflationis. Qui foris tumescit, intus tabescit. Qui *eligit abici in domo Dei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum* (Ps. 83, 11), eligit illum Deus, ut inhabitet in atriis eius, et nihil sibi assumentem ille in sedem beatitatis assumit. Unde in Psalmo suavissime et verissime canitur: *Beatus vir, cuius est susceptio eius abs te, Domine* (Ps. 83, 6). Ne putes eum, qui se humiliat, semper iacere, cum dictum sit: *Exaltabitur*. Et ne opineris eius exaltationem in oculis hominum per sublimitates fieri corporales; cum enim dixisset: *Beatus vir, cuius est susceptio eius abs te, Domine*, consequenter annexuit et ostendit eiusdem susceptionis celsitudinem spiritualem: *Ascensus*, inquit, *in corde eius disposuit, in convalle plorationis in locum, quem disposuit* (Ps. 83, 6. 7). Ubi ergo disposuit ascensus? In corde, in convalle scilicet plorationis. Hoc est: *Qui se humiliat, exaltabitur* (Lc. 18, 14). Sicut enim ascensus exaltationem indicat, ita vallis humilitatem et convallis plorationes. Sicut enim comes paenitentiae dolor est, ita lacrimae sunt testes doloris. Optime autem sequitur et dicit: *Etenim benedictionem dabit, qui legem dedit* (Ps. 83, 8). Ad hoc enim lex data est, ut vulnera ostenderet peccatorum, quae gratiae benedictio sanaret. Ad hoc lex data est, ut superbo infirmitatem suam notam faceret, infirmo paenitentiam suaderet. Ad hoc lex data est, ut diceremus in convalle plorationis: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis* (Rom. 7, 23), et cum ipso ploratu clamaremus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius* (Rom. 7, 24)? et succurreret nobis exaudiente

illo, qui erigit elisos, solvit compeditos, illuminat caecos (Ps. 145, 7. 8), *gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (Rom. 7, 25).

Cap. 2. — 2. Tres sunt autem actiones paenitentiae [1], quas mecum vestra eruditio [2] recognoscit. Sunt enim usitatae in ecclesia Dei et diligenter attendentibus notae. Una est, quae novum hominem parturit, donec per baptismum salutare omnium praeteritorum fiat ablutio peccatorum, ut tamquam puero nato dolores transeant, quibus viscera urgebantur ad partum, et tristitiam laetitia consequatur [3]. Omnis enim, qui iam arbiter voluntatis suae constitutus est, cum accedit ad sacramenta fidelium, nisi eum paeniteat vitae veteris, novam non potest inchoare. Ab hac paenitentia, cum baptizantur, soli parvuli sunt immunes; nondum enim uti possunt libero arbitrio. Quibus tamen ad consecrationem remissionemque originalis peccati prodest eorum fides, a quibus offeruntur, ut, quascumque maculas delictorum per alios, ex quibus nati sunt, contraxerunt [4], aliorum etiam interrogatione ac responsione purgentur. Verissime quippe in Psalmis plangitur: *Ecce in iniquitate conceptus sum, et in peccatis mater mea me in utero aluit* (Ps. 50, 7). Item quod scriptum est non esse mundum in conspectu Dei, nec infantem, cuius est vita diei unius super terram (Job 14, 4, sec. LXX). Exceptis ergo talibus, de quorum ordine ac merito in futura illa, quae promittitur, sorte sanctorum velle amplius quaerere hominum modulum excedit, — pie tamen creditur eis prodesse ad spiritualem salutem, quod ecclesiasticae auctoritatis per totum orbem terrarum tam firmo robore custoditur — ceterorum hominum nullus transit ad Christum, ut incipiat esse, quod non erat, nisi eum paeniteat fuisse, quod erat. Haec prima paenitentia praecipitur Judaeis dicente apostolo Petro: *Paenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri Jesu Christi* (Act. 2, 38). Talis ab ipso Domino imperabatur, cum diceret: *Paenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum* (Mt. 4, 17). De hac etiam Joannes Baptista, plenus Spiritu sancto, praecursor et praeparator viae Domini, ita dicit: *Generatio viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructum dignum paenitentiae* (Mt. 3, 7. 8).

Cap. 3. — 3. Altera vero paenitentia est, cuius actio per totam istam vitam, qua in carne mortali degimus, perpetua supplicationis

[1] Cf. serm. 352, 2; ep. 265, 7; serm. 56, 8, 12; 59, 4, 7; 278, 12; De symb. 7, 15.

[2] Vestra eruditio: Ex hac compellationis forma inusitata, attamen ab Augustino non aliena (cf. serm. Mai 94, 2, Misc. Ag. I p. 334, 25) conicere licet sermonem coram auditorio erudito, id est non solum coram plebe, sed et coram praepositis ecclesiae habitum esse, quod et alia quaedam indicant. Cf. Adam I p. 9 ann.

[3] Cf. serm. 216, 7.

[4] Homines non solum Adae, sed etiam suorum parentum obstringi peccatis Augustinus et alias in scriptis suis posterioribus commemorat. Cf. Enchir. 46, 13; Contr. Jul. op. imp. 3, 65; ibid. 4, 133.

humilitate subeunda est. Primo, quia nemo vitam aeternam, incorruptibilem immortalemque desiderat, nisi eum vitae huius temporalis, corruptibilis mortalisque paeniteat. Non enim sic quisque in vitam novam per sanctificationem baptismi nascitur, ut quemadmodum deponit ibi omnia peccata praeterita, ita etiam statim mortalitatem ipsam carnis corruptionemque deponat. Quod si non ita est, restat, ut illud, quod scriptum est, quod etiam quisque in se sentit adhuc, dum in hac vita est, *corpus, quod corrumpitur*, aggravet *animam*, et deprimat *terrena habitatio sensum multa cogitantem* (Sap. 9, 15). Quod tunc in illa beatitudine quia non erit, cum absorbebitur mors in victoriam (1 Cor. 15, 54), quis dubitet, in quacumque temporali felicitate versemur, paenitere tamen nos debere huius vitae, ut ad illam incorruptionem tota aviditate curramus? Inde est enim, quod etiam apostolus ait: *Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino; per fidem enim ambulamus, non per speciem* (2 Cor. 5, 6. 7). Quis ergo festinat atque optat ad patriam remeare et illam speciem, quae est facie ad faciem, contemplari, nisi quem peregrinationis suae paenituerit? Ex quo dolore paenitentis etiam vox illa miserabilis erumpit et sonat: *Heu me! quoniam peregrinatio mea longinqua facta est.* Et ne putes nondum fidelem ista loqui, vide, quid sequitur: *Inhabitavi in tabernaculis Cedar; cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus; cum loquerer eis, impugnabant me valde* (Ps. 119, 5. 6). Non solum hominis fidelis, sed etiam evangelistae firmissimi et martyris fortissimi haec verba sunt. Nam inde est etiam illud apostoli: *Scimus enim, quia et si terrena nostra domus huius habitationis dissolvatur, aedificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, aeternam in caelis. Etenim in hoc ingemiscimus, habitaculum nostrum, quod de caelo est, superindui cupientes, si tamen et induti non nudi inveniamur. Etenim qui sumus in hac habitatione, ingemiscimus gravati, in quo nolumus spoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur mortale a vita* (2 Cor. 5, 1—4). Quid ergo cupimus nisi ita non esse, ut nunc sumus? Et quid ingemiscimus nisi paenitendo, quia ita sumus? Sed quando ita non erimus nisi terrena domo resoluta, ut caelestem habitationem et animo et corpore totius hominis immutatione sortiamur? Quapropter et sanctus Job non ait esse tentationem in hac vita, sed hanc ipsam vitam tentationem dixit esse ita loquens: *Numquid non tentatio est vita humana super terram?* Quo in loco etiam mysterium lapsi hominis mirabiliter tetigit dicens: *Tamquam servus fugiens dominum suum et consecutus umbram* (Job 7, 1—2, sec. LXX). Non enim haec vita dicenda est potius quam umbra vitae. Nec immerito fugitivus Adam post offensionem peccati abscondit se a facie Domini, tectus foliis arborum, quibus opacantur umbracula, *tamquam fugiens dominum suum*, sicut dictum est, *et consecutus umbram.*

4. Quae universa ad hoc dicta sunt, ne quis per baptismum quamvis iustificatus sit a prioribus peccatis, tamen superbire audeat, si nihil committat, unde ab altaris communione separetur, quasi iam de plena securitate se iactans; sed potius servet humilitatem, quae pene una disciplina christiana est, nec superbiat terra et cinis (Eccli. 10, 9), donec ista nox transeat, *in qua pertranseunt omnes bestiae silvae, catuli leonum rugientes, quaerentes a Deo escam sibi* (Ps. 103, 21). In hanc escam Job ipse petitus est, qui dixit: *Tentatio est vita humana super terram.* Etiam Dominus: *In hac nocte*, inquit, *postulavit satanas vexare vos sicut triticum* (Lc. 22, 31). Quis itaque sanae mentis non ingemiscat? Cui non per paenitentiam sic esse displiceat? Quis non tota humilitate supplicans divino adiutorio se exaudibilem praebeat, donec transeat omnis ista tentationum materies atque umbra terrena, et ille, qui numquam deficit, etiam nobis illucescat sempiternus dies et illuminet abscondita tenebrarum et manifestet cogitationes cordis, et tunc laus erit unicuique a Deo (1 Cor. 4, 5)? Deinde quamvis se quisque glorietur sic habere corpus edomitum, ut mundo crucifixus ab omni opere malo in servitutem redacta membra castiget, ne iam regnet peccatum in eius mortali corpore ad obediendum desideriis eius; solum unum verum Deum colat, nulli simulacrorum ritui deditus, nullis sacris daemoniorum irretitus, non accipiens in vanum nomen Domini Dei sui, quietem sempiternam certus exspectans, debitum honorem parentibus reddens, nec cruentus homicidio nec fornicatione turpatus nec furto fraudulentus nec mendacio duplicatus nec rei vel uxoris alienae concupiscentia sordidus; non in suis etiam rebus aut luxuria diffluat aut arescat avaritia; non sit contentiosus, non sit contumeliosus, non maledicus; vendat postremo omnia sua et det pauperibus et sequatur Christum atque thesauro caelesti radicem cordis infigat: quid videtur addi posse ad tam plenam iustitiam? Tamen nolo glorietur. Intelligat haec omnia praestita sibi esse, non a se existere. Quid enim habet, quod non accepit? Quod si accepit, quid gloriatur, quasi non acceperit (1 Cor. 4, 7)? Eroget sane pecuniam dominicam, consulat proximo, sicut sibi sentit esse consultum. Nec putet satis esse servare integrum, quod accepit, ne dicatur ei: *Serve nequam et piger, dares pecuniam meam, et ego veniens cum usuris exigerem;* ne auferatur ab eo, quod accepit, ne proiciatur in tenebras exteriores (Mt. 25, 26—30). Quam vehementissimam poenam si timere debent illi, qui servare integrum possunt, quod acceperunt, quae spes illorum est, qui hoc impie sceleratequeque disperdunt? Versabitur ergo iste in rebus humanis non carnalis, sed spiritualis acquisitionis devinctus officio; non quidem negotiis saecularibus obligatus, sed tamen, quia militat Deo, non otio desidiae torpidus et abiectus. Det ergo, si potest, suas eleemosynas omnes cum hilaritate, sive cum

carnalibus necessitatibus pauperum aliquid erogat, sive cum panis caelestis dispensator invicta adversus diabolum castra in credentium cordibus construit. *Hilarem enim datorem diligit Deus* (2 Cor. 9, 7). Non itaque taedio frangatur in difficultatibus rerum, quae necesse est existant, ut ostendatur homini, quod homo est. Non ira subrepat in eum, qui aut odiose irruit aut inopportune inopia coactus petit aut negotio suo, cum tu maiore occupatus es, indifferenter flagitat subveniri aut in verbo manifestae iustitiae resistit caeca cupiditate aut miserabili tarditate. Non det quidquam amplius vel minus quam oportet, non loquatur amplius quam opus est, aut cum etiam non opus est. *Speciosi* enim *pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona* (Rom. 10, 15). Sed tamen de terra sicca pulverem contrahunt, qui sane in iudicium eorum excutitur, qui sibi hanc exhibitionem perversa voluntate contemnunt. Non solum ergo propter ipsam vitae huius mortalitatem et ignorantiam et propter diei malitiam, quae utinam sufficeret, sicut de illa dictum est: *Sufficit diei malitia sua* (Mt. 6, 34), quam iubemur ferre atque portare, donec transeat, et sustinere Deum viriliter agendo, ut fructum afferamus cum tolerantia, sed etiam propter ipsum pulverem mundi huius, qui per itinera consulendi consulentium pedibus adhaerescit, et damna, quae in ipsa negotiosissima dispensationis actione contingunt, quae Dominus praestet, ut cum lucris maioribus compensentur, quotidianam debemus habere paenitentiam.

5. Sed si hoc dispensatores verbi Dei et ministri sacramentorum eius, milites Christi, quanto magis cetera stipendiaria multitudo et quaedam provincia magni regis[1]! Quam ne forte vel falsa suspicione avaritiae miles ille fidelissimus atque fortissimus apostolus Paulus offenderet, suis stipendiis militavit, et ubi forte defuit sumptus necessarius. *Alias*, inquit, *ecclesias expoliavi accipiens ab eis stipendium ad vestram ministrationem* (2 Cor. 11, 8). Quanto ergo magis ecclesiae provinciales saecularibus negotiis obligati quotidianam debent agere paenitentiam! Qui quamvis a furtis, a rapinis, a fraudibus, ab adulteriis et fornicationibus omnique luxuria, a crudelitate odiorum et inimicitiarum pertinacia, ab omni denique idololatriae foeditate, spectaculorum nugacitate, haeresum atque schismatum impia vanitate

[1] Stipendiarios vel provinciales Augustinus laicos vocare amat, quippe qui clericis sicut provinciales militibus solvendo stipendio obnoxii sint. Ep. 157, 37: „Habet enim ecclesia quodam modo suos milites et quodam modo provinciales, unde dicit apostolus: Quis militat suis stipendiis umquam (1 Cor. 9, 7)?“ — Enarr. in Ps. 110, serm. 1, 10: „Ipsi cum illis regnabunt, quia illi tamquam milites, illi tamquam annonam praebentes provinciales, sub uno tamen imperatore et miles et provincialis in regno est.“ — Cf. In Ps. 90, serm. 1, 10; In Ps. 103, serm. 3, 9; In Jo. tr. 122, 3; De catech. rud. 43; De op. monach. 5, 6; 15, 16; 16, 18; 23, 27; Serm. 303, 17, 15.

atque ab omnibus huiuscemodi flagitiis et facinoribus immunes, puri atque integri esse debeant, tamen propter administrationem rerum familiarium et coniugiorum arctissima vincula tam multa peccant, ut non tam de istius mundi pulvere aspergi quam luto obliniri videantur. Hoc est, quod apostolus eis dicit: *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quia iudicia habetis vobiscum. Quare non magis iniquitatem patimini? quare non potius fraudamini?* Nam illud execrabile est, quod propter quosdam addit et dicit: *Sed vos iniquitatem facitis et fraudatis, et hoc fratribus* (1 Cor. 6, 7—8). Exceptis tamen iniquitatibus et fraudibus, hoc ipsum habere inter se iudicia et lites de saecularibus rebus delictum esse dicit, quod tamen ferendum esse admonet, si vel ecclesiastico iudicio lites huiuscemodi finiantur. Hinc est etiam illud: *Qui sine uxore est, cogitat ea, quae sunt Dei, quomodo placeat Deo; qui autem matrimonio coniunctus est, cogitat ea, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori* (1 Cor. 7, 32. 33). Quod etiam de femina similiter notat. Vel illud, cum ait: *Et iterum ad idipsum estote, ne vos tentet satanas propter intemperantiam vestram* (1 Cor. 7, 5). Quod ut peccatum esse demonstraret, sed infirmitati concessum, subiecit statim: *Hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium* (1 Cor. 7, 6). Sola enim generandi causa est inculpabilis sexus utriusque commixtio [1]. Quam multa sunt alia peccata, sive in loquendo de rebus et negotiis alienis, quae non ad te pertinent, sive in vanis cachinnationibus, cum scriptum sit: *Stultus in risu exaltat vocem suam, sapiens autem vix tacite ridebit* (Eccli. 21, 23), sive in ipsis escis, quae ad necessitatem sustentandae huius vitae praeparantur, avidior atque immoderatior appetitus, saepe excessum modum postridiana cruditate contestans, sive in vendendis et emendis rebus caritatis et vilitatis vota perversa. Piget cuncta colligere, quae quisque in se ipso certius comprehendit atque reprehendit, si divinarum scripturarum speculum non negligenter attendat. Quae quamvis singula non lethali vulnere ferire sentiantur sicuti homicidium et adulterium vel cetera huiusmodi, tamen omnia simul congregata velut scabies, quo plura sunt, necant aut nostrum decus ita exterminant, ut ab illius sponsi speciosi forma prae filiis hominum (Ps. 44, 3) castissimis amplexibus separent, nisi medicamento quotidianae paenitentiae desiccentur [2].

6. Quod si falsum est, unde quotidie tundimus pectora? Quod nos

[1] Cf. supra p. 11 ann. 4.

[2] Levia peccata multitudine sua hominem ita gravare ut peccatum unum mortale Augustinus passim docet. Vid. infra ep. 265, 8; In Jo. ad Parth. tr. 1, 6; serm. 9, 11, 17. 18; 56, 9, 12; 58, 10; 278, 12. — Cf. Caesarius, serm. 104, 1; 4 (PL 39, 1946 f.); serm. 22, 6 (PL 39, 1803); Gregor. I, Reg. past. 3, 33 (PL 77, 116); Isidor. Hisp., Sent. 2, 18 (PL 83, 620).

quoque antistites ad altare assistentes cum omnibus facimus [1]. Unde etiam orantes dicimus, quod in tota ista vita oportet, ut dicamus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (Mt. 6, 12). Non enim ea dimitti precamur, quae iam in baptismo nisi dimissa credimus, de ipsa fide dubitamus, sed utique de quotidianis peccatis hoc dicimus, pro quibus etiam sacrificia eleemosynarum, ieiuniorum et ipsarum orationum ac supplicationum quisque pro suis viribus offerre non cessat. Quisquis itaque se diligenter attendens nulla se ipsum adulatione seducit, satis intelligit, cum quanto periculo mortis aeternae et cum quanta penuria perfectae iustitiae peregrinetur a Domino, quamvis iam in Christo, hoc est in via constitutus redire conetur. Nam si non habemus peccata et tundentes pectora dicimus: *Dimitte nobis debita nostra*, ex hoc ipso certe et graviter peccamus, cum inter ipsa sacramenta mentimur [2]. Quamobrem, in quantum Deo nostro fide, spe et caritate conectimur et eum, in quantum possumus, imitamur, non peccamus, sed filii Dei sumus; in quantum autem ex occasione carnalis infirmitatis, quia nondum morte resoluta, nondum resurrectione mutata est, motus reprehensibiles improbique subrepunt, peccamus. Quod utique fateri nos convenit [3], ne dura cervice non languoris nostri sanitatem, sed damnationem superbiae mereamur. Unde utrumque verissime scriptum est, et: *Qui natus est ex Deo, non peccat* (1 Jo. 3, 9), et quod in eadem Joannis epistola legimus: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos decipimus, et veritas in nobis non est* (1 Jo. 1, 8). Illud enim ex primitiis novi hominis, hoc ex reliquiis veteris dictum est; utrumque enim agimus in hac vita. Paulatim autem novitas accedit et paulatim vetustate cedente succedit. Cum vero utrumque agitur, in stadio sumus nec solum percutimus adversarium bonis operibus, sed etiam peccata incautius evitando percutimur. Neque nunc quis nostrum vicerit, sed quis crebrius feriat, quis fortius confligat, attenditur, donec alios secum in sempiternam mortem pertrahat, qui

---

[1] Pectus tundere, quotiescunque peccata Deo confitebantur, christianis adeo erat in usu, ut multi audito solo verbo „Confiteor" statim pectora percuterent non cogitantes confessionem non solum paenitentis, sed et laudantis esse. Serm. 29, 2; 67, 1 et saepius. Vid. J. Zellinger, Augustin und die Volksfrömmigkeit, 1933, p. 32.

[2] Cf. serm. 81, 4, 5: „Iterum te interrogo alio modo: Justus es aut peccator? Respondes, peccator. Mentiris, quia non, quod te esse corde credis, hoc ore dicis. Ergo si non eras peccator, esse incipies, dum mentiris. . . . Redi ergo, haeretice, ad orationem, si obsorduisti contra verae fidei rationem. Dimitte nobis debita nostra, dicis, an non dicis? Si non dicis, etsi praesens fueris corpore, foris tamen es ab ecclesia. Ecclesiae enim oratio est."

[3] Ut ex contextu patet, fateri peccata hic non aliud intelligendum est ac fateri Deo et sibimetipsi vel se peccasse agnoscere.

homini stanti lapsus invidit, et ab aliis triumphantibus in fine dicatur: *Ubi est, mors, contentio tua? ubi est, mors, aculeus tuus* (1 Cor. 15, 55)? Sed neque facilius ab inimico deicimur, quam cum eum superbiendo imitamur, nec vehementius eum prosternimus, quam cum humilitate Dominum sequimur, nec acriores ei dolores infligimus, quam cum plagas peccatorum nostrorum confitendo et paenitendo sanamus.

Cap. 4. — 7. Tertia actio est paenitentiae, quae pro illis peccatis subeunda est, quae legis decalogus continet, et de quibus apostolus ait: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt* (Gal. 5, 21). In hac ergo paenitentia maiorem quisque in se severitatem debet exercere, ut a se ipso iudicatus non iudicetur a Domino, sicut idem apostolus ait: *Si enim nos iudicaremus, a Domino non iudicaremur* (1 Cor. 11, 31). Ascendat itaque homo adversum se tribunal mentis suae, si timet illud, quod *oportet nos exhiberi ante tribunal Christi, ut illic recipiat unusquisque, quod per corpus gessit, sive bonum sive malum* (2 Cor. 5, 10). Constituat se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat. Nam minatur hoc Deus peccatori dicens: *Arguam te et statuam te ante faciem tuam* (Ps. 49, 21). Atque ita constituto in corde iudicio adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lacrimas profluat. Postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo iudicet participatione corporis et sanguinis Domini, ut qui separari a regno caelorum timet per ultimam sententiam summi iudicis, per ecclesiasticam disciplinam a sacramento caelestis panis interim separetur. Versetur ante oculos imago futuri iudicii, ut, cum alii accedunt ad altare Dei, quo ipse non accedit, cogitet, quam sit contremiscenda illa poena, qua percipientibus aliis vitam aeternam alii in mortem praecipitantur aeternam. Ad hoc enim altare, quod nunc in ecclesia est in terra positum, terrenis oculis expositum ad mysteriorum divinorum signacula celebranda, multi etiam scelerati possunt accedere, quoniam Deus commendat in hoc tempore patientiam suam, ut in futuro exserat severitatem suam. Accedunt enim ignorantes, *quoniam patientia Dei ad paenitentiam* eos *adducit* (Rom. 2, 4). Illi autem *secundum duritiam* cordis sui *et cor impaenitens thesaurizant* sibi *iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua* (Rom. 2, 5. 6). Ad illud autem altare, quo praecursor pro nobis introiit Jesus, quo caput ecclesiae praecessit membris ceteris secuturis, nullus eorum accedere poterit, de quibus, ut iam commemoravi, dixit apostolus: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt* (Gal. 5, 21). Solus enim sacerdos, sed plane ibi totus assistet, adiuncto scilicet corpore, qui caput est, quod iam ascendit in caelum. Ipse est, cui dixit apostolus Petrus: *Plebs sancta, regale sacerdotium* (1 Petr. 2, 9). Quomodo ergo in interiora veli et in illa

invisibilia sancta sanctorum intrare (Hebr. 10, 19. 20) audebit aut poterit, qui medicinam caelestis disciplinae contemnens noluit paulisper a visibilibus separari? Qui enim noluit humiliari, ut exaltaretur, cum exaltari voluerit, deicietur et in aeternum seiungetur ab aeternis sanctis, quisquis hoc tempore per merita obedientiae et per satisfactionem paenitentiae non sibi providit locum in corpore sacerdotis. Qua enim fronte impudentiae tunc volet averti faciem Dei a peccatis suis, qui nunc toto corde non dicit: *Quoniam facinus meum ego agnosco, et peccatum meum ante me est semper* (Ps. 50, 5)? Quo pacto, quaeso, Deus dignatur ignoscere, quod in se ipse homo dedignatur agnoscere? [1]

8. Aut illud quale est, in quo sibi blandiuntur, qui sua se vanitate seducunt? Perseverantes enim in malitiis atque luxuriis suis, cum audiunt apostolum dicentem: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt* (Gal. 5, 21), audent sibi praeter Dei regnum salutem, quam desiderant, polliceri; atque ita inter se loquuntur, dum recusant agere paenitentiam pro peccatis suis et perditos mores aliquando in melius commutare: Regnare nolo, sufficit mihi salvum me esse [2]. In quo primum eos fallit, quia eorum nec salus ulla est, quorum iniquitas perseverat. Quod enim ait Dominus: „*Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum; qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (Mt. 24, 12. 13), salutem utique promisit perseverantibus in caritate, non in iniquitate. Ubi autem caritas est, opera illa mala a regno Deo separantia esse non possunt. *Omnis enim lex in uno sermone impleta est, in eo, quod scriptum est: Diliges proximum tuum tamquam te ipsum* (Gal. 5, 14). Deinde si est aliqua differentia inter regnantes et non regnantes, oportet tamen, ut in uno regno sint omnes, ne in hostium aut alienorum numero deputentur. Omnes enim Romani Romanum regnum possident, quamvis non omnes in eo

[1] Haec expositio maxime idonea est, ex qua ipsa huius tertii generis paenitentiae ratio cognoscatur. Totum sane opus paenitentiae ad hoc spectat, ut homo peccato mortali a corpore Christi separatus denuo huic corpori inseratur, cum quo qui coniunctus non est, intrare in regnum caelorum non potest. Ut vero dignus fiat restitutione, peccatorem primum oportet cognita misera sua conditione abstinere se a participatione sacramenti altaris, ad quod accedere nonnisi membris Christi fas est, deinde cum humilitate se subicere clavibus ecclesiae, quae congruam ei satisfactionem imponat tempusque excommunicationis constituat et peracta denique paenitentia sibi atque Christo eum reconciliet. Unde apparet, quam conexi sint actus excommunicandi et reconciliandi huic paenitentiae generi, ita ut Augustinus recte ipsam definiat paenitentiam eorum, qui „ita peccaverint, ut excommunicari et postea reconciliari mereantur“ (ep. 265, 7; cf. supra p. 6 ann. 1).

[2] Salutem vel vitam aeternam diversam esse a regno Dei Pelagiani affirmabant parvulisque non baptizatis ab hoc exclusis illam tribuere conabantur (De pecc. mer. et rem. 1, 20, 26). Adultos quoque, ut vitam suam vitiosam defenderent, ad eandem praesumptionem recurrisse nonnisi hoc loco comperimus.

regnent, sed ceteris regnantibus pareant. Non autem ait apostolus: *Qui talia agunt*, non regnabunt cum Deo, sed *regnum Dei non possidebunt* (Gal. 5, 21). Quod etiam de carne et sanguine dictum est: *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt* (1 Cor. 15, 50), quia *corruptibile hoc induet incorruptionem, et mortale hoc induet immortalitatem* (1 Cor. 15, 53), ut iam non caro et sanguis, sed ex animali corpore spiritualis corporis habitum naturamque mereatur. Vel illa eos terreat ultima sententia iudicis nostri, quam propterea nunc aperiri voluit, ut ab eius fidelibus praecaveatur, dans *metuentibus se significationem, ut fugiant a facie arcus* (Ps. 59, 6). Exceptis enim eis, qui cum illo etiam iudicabunt, quibus et promisit dicens: *Sedebitis super duodecim thronos iudicantes duodecim tribus Israel* (Mt. 19, 28). In quo numero iudicantium omnes intelliguntur, qui propter evangelium omnia sua dimiserunt et secuti sunt Dominum. Duodenarius quippe numerus ad quandam universitatem refertur. Non enim Paulus apostolus ibi non erit, quia inter illos duodecim non fuit. Exceptis ergo illis, quos etiam nomine angelorum significavit, quando ait: *Cum venerit filius hominis iudicare cum angelis suis* (Mt. 16, 27). Angeli enim utique nuntii sunt. Nuntios autem rectissime accipimus omnes, qui salutem caelestem hominibus nuntiant. Unde etiam evangelistae boni nuntii possunt interpretari, et de Joanne Baptista dictum est: *Ecce, mitto angelum meum ante faciem tuam* (Malach. 3, 1). His ergo, ut dicere coeperam, exceptis cetera omnium hominum multitudo, sicut in ipsius verbis Domini manifestum est, in duas partes dividetur. Posturus est enim oves ad dexteram, hoedos ad sinistram, et dicetur ovibus, id est iustis: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi* (Mt. 25, 34). De hoc utique regno dixit apostolus, cum enumeraret opera mala: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt* (Gal. 5, 21). Audi, quid audiant, qui a sinistris erunt: *Ite*, inquit, *in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo et angelis eius* (Mt. 25, 41). Quapropter praesumere quis audeat de nomine christiano, et non cum omni obedientia et timore audiat apostolum dicentem: *Hoc enim scitote cognoscentes, quoniam omnis fornicator aut immundus aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet haereditatem in regno Christi et Dei? Nemo vos seducat inanibus verbis; propter haec enim venit ira Dei in filios diffidentiae. Nolite itaque effici participes eorum* (Eph. 5, 5—7). Latius autem ad Corinthios haec dicit: *Nolite errare: neque fornicatores neque idolis servientes neque adulteri neque molles neque masculorum concubitores neque fures neque avari neque ebriosi neque maledici neque rapaces regnum Dei possidebunt* (1 Cor. 6, 9. 10). Sed videte, quemadmodum timorem et desperationem salutis abstulerit eis, qui haec in vita veteri commiserunt. *Et haec quidem*, inquit,

fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi et in Spiritu Dei nostri (1 Cor. 6, 11).

9. Quisquis ergo post baptismum aliquorum pristinorum malorum opere obligatus tenetur, usque adeone sibi inimicus est, ut adhuc dubitet vitam mutare, cum tempus est, cum ita peccat et vivit? Nam utique, quod ita perseveranter peccat, thesaurizat sibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei. Quod autem adhuc vivit, patientia Dei ad paenitentiam eum adducit. Implicatus igitur tam mortiferorum vinculis peccatorum detrectat aut differt aut dubitat confugere ad ipsas claves ecclesiae, quibus solvatur in terra, ut sit solutus in caelo, et audet sibi post hanc vitam, quia tantum christianus dicitur, salutem aliquam polliceri nec veridico illo dominicae vocis tonitruo contremiscit: *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum* (Mt. 7, 21)? Quid, ad Galatas idem apostolus nonne talia enumerans eodem fine concludit? *Manifesta sunt*, inquit, *opera carnis, quae sunt fornicationes, immunditiae, luxuriae, idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, animositates, dissensiones, haereses, invidiae, ebrietates, comessationes et his similia; quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt* (Gal. 5, 19—21). Judicet ergo se ipsum homo in istis voluntate, dum potest, et mores convertat in melius, ne cum iam non poterit, etiam praeter voluntatem a Domino iudicetur. Et cum ipse in se protulerit severissimae medicinae, sed tamen medicinae sententiam, veniat ad antistites, per quos illi in ecclesia claves ministrantur, et tamquam bonus iam incipiens esse filius maternorum membrorum ordine custodito a praepositis sacramentorum accipiat satisfactionis suae modum, ut in offerendo sacrificio cordis contribulati (Ps. 50, 19) devotus et supplex, id tamen agat, quod non solum ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam ceteris ad exemplum: ut, si peccatum eius non solum in gravi eius malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati ecclesiae videtur antistiti, in notitia multorum vel etiam totius plebis agere paenitentiam non recuset, non resistat, non lethali et mortiferae plagae per pudorem addat tumorem[1]. Meminerit semper, quod

[1] Textus hic difficultatem quandam affert. Si enim nonnisi ii, qui publice cum magno scandalo aliorum peccaverant, paenitentiam agere in notitia plebis tenebantur, quaeritur, quisnam fuerit paenitendi modus pro peccatis in occulto commissis. Nonnulli putant huiusmodi paenitentiam omnino in secreto actam esse sciente solo antistite, qui modum satisfactionis tempusque reconciliationis constitueret atque paenitentia functum secreto reconciliaret, ut nihil in aliorum notitiam veniret, nisi quod peccator per tempus quoddam ad sacram mensam non accederet [Sic Adam II p. 33 sqq.; Galtier, l. c. p. 367 sqq.; Jungmann, l. c. p. 297 sqq.]. Cui tamen opinioni obstat, quod omnes „proprie paenitentes",

superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam (Jac. 4, 6). Quid enim est infelicius, quid perversius quam de ipso vulnere, quod latere non potest, non erubescere et de ligatura eius erubescere?

10. Nemo arbitretur, fratres, propterea se consilium salutiferae huius paenitentiae debere contemnere, quia multos forte advertit et novit ad sacramenta altaris accedere, quorum talia crimina non ignorat. Multi enim corriguntur ut Petrus, multi tolerantur ut Judas, multi nesciuntur, donec veniat Dominus, qui illuminet abscondita tenebrarum et manifestet cogitationes cordis (1 Cor. 4, 5) [1]. Nam

in quibus occultos quoque peccatores procul dubio numerandos esse Augustinus initio huius capitis exposuit, in ordinem paenitentium redigebantur et infra tempus paenitentiae saepius a proprio sibi in ecclesia destinato loco ad manus impositionem episcopi in conspectu totius populi accedebant (serm. 232, 7, 8, infra p. 66 et ann. 3; cf. serm. 392, 2, infra p. 70 et ann. 2). Praeterea ipsos quoque, qui in occulto peccaverunt, Augustinus monet, ut agant paenitentiam, „qualis agitur in ecclesia, ut oret pro vobis ecclesia" (serm. 392, 3, infra p. 71 et ann. 5), quod intelligi non potest, nisi ut publice in ecclesia paenitentes fidelium intercessionem sibi exorent (cf. Enchir. 82, 22, supra p. 14 et ann. 2; Quaest. 17 in Matth. q. 11, 3, infra p. 42 et ann. 5). Quia ergo et paenitentia pro occultis peccatis coram plebe agitur, illud „in notitia totius plebis paenitentiam agere" nihil aliud significare videtur quam ita agere paenitentiam, ut etiam, pro qua agatur culpa, publica peccatoris correptione plebi innotescat (cf. En. in Ps. 61, 23), cum ii, qui occulte nulloque cum aliorum scandalo peccaverint, in secreto tantum corripiantur (serm. 82, 7, 10) itemque in secreto et paenitentiam et postea reconciliationem accipiant [Quod quidem canon 30. concilii Hipponensis (393) insinuare videtur constituens: „Ut presbyteri inconsulto episcopo non reconcilient paenitentes nisi absentia episcopi et necessitate cogente. Cuiuscumque autem paenitentis publicum et vulgatissimum crimen est, quod universa ecclesia noverit, ante apsidem manus ei imponatur" (Mansi III, p. 923)]. Ceterum si „non in notitia plebis agere paenitentiam" sic accipiendum esset, ut et ipsa actio paenitentiae non innotesceret, non videtur, quomodo quidam „in notitia multorum" ceteris nescientibus paenituerint. [Ad totam hanc quaestionem vid. KC p. 32 sqq.] Quod ad modum attinet in secreto reconciliandi, Jungmann illis temporibus episcopum iam non solum paenitentibus, sed simul etiam aliis fidelibus infra missam manus imponere et benedictionem dare in usum venisse putat, ita ut nemo illi ritui se subdens proprie paenitentem se proderet (ibid. p. 300 sqq.). Ad quod vid. Theol. Revue 1933, p. 271. — „Semipublicam", quae apte vocatur, illam pro peccatis occultis paenitentiam in Romana quoque ecclesia viguisse Leo I. celebri suo decreto testatur, quo non, ut a multis dictum est, ipsam paenitentiam publicam reprobat, sed in abusum peccata paenitentium populi auribus publicandi vehementissime invehitur (Ep. 168, 2 ad episc. Campaniae etc., Mansi VI, p. 410 sq. Cf. AK p. 11 sqq.).

[1] Sensus est: Eorum, qui crimina commiserunt, pars tantum convertitur, id est paenitentiam accipit et, sicut disciplina ecclesiastica postulat, ab altari se abstinet. Alios autem peccatorum ecclesia impedire non potest, quominus ad mensam Domini accedant, partim quia eos tolerare debet, ne, si inviti excommunicentur, peiores etiam fiant et in totum pereant (cf. Enchir. 80, 21; ep. 95, 3; serm. 17, 33; De fid. et op. 2, 3 sq.; Contr. ep. Parm. 3, 13 sqq.), partim quia scelera eorum nescit aut eos sic convincere nequit, ut per iudicium ecclesiasticum eos excommunicare liceat.

plerique propterea nolunt alios accusare, dum se per illos cupiunt excusare. Plerique autem boni christiani propterea tacent et sufferunt aliorum peccata, quae noverunt, quia documentis saepe deseruntur et ea, quae ipsi sciunt, iudicibus ecclesiasticis probare non possunt. Quamvis enim vera sint quaedam, non tamen iudici facile credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur. Nos vero a communione prohibere quemquam non possumus, quamvis haec prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum aut in aliquo sive saeculari sive ecclesiastico iudicio nominatum atque convictum. Quis enim sibi utrumque audeat assumere, ut cuiquam ipse sit et accusator et iudex? Cuiusmodi regulam etiam Paulus apostolus in eadem ad Corinthios epistula breviter insinuasse intelligitur, cum quibusdam talibus commemoratis criminibus ecclesiastici iudicii formam ad omnia similia ex quibusdam daret. Ait enim: *Scripsi vobis in epistula non commisceri fornicariis: non utique fornicariis huius mundi aut avaris aut raptoribus aut idolis servientibus; alioquin debueratis de hoc mundo exire* (1 Cor. 5, 9. 10). Non enim possunt homines in hoc mundo viventes nisi cum talibus vivere; nec eos possunt lucrifacere Christo, si eorum colloquium convictumque vitaverint. Unde et Dominus cum publicanis et peccatoribus comedens: *Non est opus*, inquit, *sanis medicus, sed male habentibus. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores* (Mt. 9, 12. 13). Et ideo sequitur apostolus et adiungit: *Nunc autem scripsi vobis non commisceri. Si quis frater nominatur aut fornicator aut idolis serviens aut avarus aut maledicus aut ebriosus aut rapax, cum huiusmodi nec quidem cibum sumere. Quo enim mihi de his, qui foris sunt, iudicare? Nonne de his, qui intus sunt, vos iudicatis? De his autem, qui foris sunt, Deus iudicabit. Auferte malum a vobis ipsis* (1 Cor. 5, 11—13). Quibus verbis satis ostendit non temere aut quomodolibet, sed per iudicium auferendos esse malos ab ecclesiae communione: ut, si per iudicium auferri non possunt, tolerentur potius, ne perverse malos quisque evitando ab ecclesia ipse discedens eos, quos fugere videtur, vinciat ad gehennam. Quia et ad hoc nobis sunt in scripturis sanctis exempla proposita, velut in messe, ut palea sufferatur usque ad ultimum ventilabrum (Mt. 3, 12), velut intra illa retia, ubi pisces boni cum malis usque ad segregationem, quae futura est in littore, id est in fine saeculi, aequo animo tolerentur (Mt. 13, 47—49). Non enim contrarium est huic loco id, quod alio loco dicit apostolus: *Tu quis es, qui iudicas alienum servum? Suo domino stat aut cadit* (Rom. 14, 4). Noluit enim hominem ab homine iudicari ex arbitrio suspicionis vel etiam extraordinario usurpato iudicio, sed potius ex lege Dei secundum ordinem ecclesiae, sive ultro confessum sive accusatum atque convictum. Alioquin illud cur dixit: *Si quis frater nominatur aut fornicator aut idolis serviens* et cetera, nisi quia eam nominationem

intelligi voluit, quae fit in quemquam, cum sententia ordine iudiciario atque integritate profertur? Nam si nominatio sufficit, multi damnandi sunt innocentes, quia saepe falso in quoquam crimine nominantur.

11. Non ergo illi, quos monemus agere paenitentiam, quaerant sibi comites ad supplicium nec gaudeant, quia plures inveniunt. Non enim propterea minus ardebunt, quia cum multis ardebunt. Non est enim hoc sanitatis certum consilium, sed malevolentiae vanum solatium. An forte attendunt multos etiam in ipsis honoribus ecclesiasticis praepositorum et ministrorum non congruenter vivere sermonibus et sacramentis, quae per eos populis ministrantur? O miseros homines, qui hos intuendo Christum obliviscuntur, qui et tanto ante praedixit, ut legi Dei potius obtemperetur, quam imitandi videantur illi, qui ea, quae dicunt, non faciunt (Mt. 23, 3), et traditorem suum tolerans usque in finem etiam ad evangelizandum cum ceteris misit! Tam sunt autem isti absurdi et praeposteri et miseri, qui praepositorum suorum malos mores imitari eligunt quam per eos praedicata Domini praecepta servare, quam si quisquam viator remanendum sibi esse existimet in itinere, cum viderit miliaria lapidea litteris plena viam docere et non ambulare. Cur enim non potius, si pervenire desiderat, tales comites intuetur et consequitur, qui et viam bene demonstrant et in ea perseveranter atque alacriter ambulant? Quod si isti desint, vel potius minus appareant, nam deesse non possunt: non enim sic quaerunt homines caritate studiosa, quod praedicent ad imitationem, quomodo quaerunt iniquitate suspiciosa, quod murmurent ad deceptionem, partim non inveniendo bonos, dum ipsi mali sunt, partim timendo invenire, dum mali esse semper volunt. Sed tamen concedamus non apparere nunc homines dignos imitatione. Quisquis hoc putas, mente Dominum intuere, qui homo factus est, ut hominem vivere doceret. Si habitat Christus in interiore homine per fidem in corde tuo, recordarisque illud, quod Joannes ait: *Qui dicit se in Christo manere, debet, quemadmodum ille ambulavit, et ipse ambulare* (1 Jo. 2, 6), ita nec tibi deerit, quem sequaris, et cum te alius viderit, de bonorum inopia conqueri desinet. Si enim non nosti, quid sit recte vivere, divina praecepta cognosce. Fortassis enim multi recte vivunt, sed propterea tibi nullus recte vivere videtur, quoniam, quid sit recte vivere, ignoras. Si autem nosti, age, quod nosti, ut et tu, quod quaeris, habeas et aliis, quod imitentur, ostendas. Christum animo attende, attende apostolos, quorum novissimus est ille, qui dicit: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (1 Cor. 4, 16)! Attende animo tot martyrum milia! Cur enim te natalitia eorum conviviis turpibus celebrare delectat [1], et eorum vitam sequi honestis moribus non de-

[1] Natalitia martyrum luxuriosis conviviis dedecorari Augustinus et alias conqueritur. En. in Ps. 69, 2: „Illi inimici martyrum, quia vocibus et ferro non

lectat? Ibi videbis non solum viros, sed etiam feminas, postremo pueros et puellas nec imprudentia decipi nec iniquitate perverti nec periculi timore frangi nec saeculi amore corrumpi. Ita te non invenientem, quid excuses, non solum praeceptorum inevitabilis rectitudo, sed etiam exemplorum innumerabilis multitudo circumdabit.

Cap. 5. — 12. Sed de utilitate ac salubritate paenitentiae ut, quod instituimus, aliquando peragamus, si iam de sanitate desperans addis peccata peccatis, sicut scriptum est: *Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit* (Prov. 18, 3), noli contemnere, noli desperare; clama etiam de profundo ad Dominum et dic ei: *De profundis clamavi ad te, Domine; Domine, exaudi vocem meam. Fiant aures tuae intendentes in vocem obsecrationis meae. Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit? Quoniam apud te propitiatio est* (Ps. 129, 1—4). De tali profundo Ninivitae clamaverunt et hanc propitiationem invenerunt; faciliusque est evacuata comminatio prophetae quam humiliatio paenitentiae (Jon. 3). Hic fortasse dicis: Sed ego iam baptizatus sum in Christo, a quo omnia mihi peccata praeterita dimissa sunt; vilis factus sum nimis iterans vias meas et *canis* horribilis oculis Dei, *conversus ad vomitum suum* (Prov. 26, 11; 2 Petr. 2, 22). Quo abibo a spiritu eius et a facie eius quo fugiam (Ps. 138, 7)? Quo, frater, nisi ad eius misericordiam paenitendo, cuius potestatem peccando contempseras? Nemo enim recte fugit ab illo nisi ad illum, ab eius severitate ad eius bonitatem. Quis enim locus te excipiet fugientem, ubi eius praesentia te non inveniat? Si ascenderis in caelum, ibi est; si descenderis ad infernum, adest. Recipe ergo pennas tuas in directum et habita in spe in extrema huius saeculi; etenim illuc manus sua deducet te et perducet te dextera sua (Ps. 138, 8—10). Quidquid enim feceris, quaecumque peccaveris, adhuc in hac vita es, unde te Deus omnino, si sanare nollet, auferret. Cur ergo *ignoras, quia patientia Dei ad paenitentiam te adducit* (Rom. 2, 4)? Qui enim clamando non tibi persuasit, ut non recederes, parcendo clamat, ut redeas. Intuere David regem: iam utique et ipse illius temporis sacramenta perceperat, iam utique circumcisus erat, quod patres nostri pro baptismo habebant. Nam ad hoc dicit apostolus sanctum Abraham signaculum iustitiae fidei recepisse (Rom. 4, 11). Jam etiam unctus erat unctione venerabili, qua regale sacerdotium praefigurabatur ecclesiae. Repente autem factus est et adulterii et homicidii reus, non frustra tamen de tam immani et abrupto profundo sceleris paeni-

---

possunt, eos sua luxuria persequuntur. Atque utinam paganos tantummodo doleremus! ... Videmus etiam portantes in fronte signum eius simul in ipsa fronte portare impudentiam luxuriarum diebusque et solemnitatibus martyrum non exultare, sed insultare." Ad quod cf. J. Zellinger, Augustin und die Volksfrömmigkeit, 1933, p. 65 sqq.

tens clamavit ad Dominum dicens: *Averte faciem tuam a peccatis meis et omnes iniquitates meas dele* (Ps. 50, 11). Quo tandem merito, nisi quia item dicit: *Iniquitatem meam ego agnosco, et peccatum meum ante me est semper* (Ps. 50, 5)? Quid autem obtulit Domino, unde illum propitiaret sibi? *Quoniam si voluisses*, inquit, *sacrificium, dedissem utique; holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum Deus non spernit* (Ps. 50, 18. 19). Non solum ergo devote obtulit, sed etiam ista dicendo, quid offeri oporteret, ostendit. Non enim sufficit mores in melius commutare et a factis malis recedere, nisi etiam de his, quae facta sunt, satisfiat Deo per paenitentiae dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. *Beati enim misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus* (Mt. 5, 7). Non enim dictum est, ut tantum abstineamus a peccatis: *Sed et de praeteritis*, inquit, *deprecare Dominum, ut tibi dimittantur* (Eccli. 21, 1). Et Petrus iam erat fidelis, iam in Christo et alios baptizaverat. Intuere ergo Petrum praesumentem accusatum, timentem vulneratum, flentem sanatum. Jam etiam post adventum de caelo Spiritus sancti quidam Simon pecunia voluit eundem Spiritum sanctum emere, sceleratissimum et impium mercimonium cogitans iam baptizatus in Christo, et tamen paenitentiae consilium ab ipso Petro correptus accepit (Act. 8, 13—22). Dicit etiam apostolus Paulus, qui utique fidelibus [1] mittebat epistulas: *Ne iterum, cum venero ad vos, humiliet me Deus, et lugeam multos ex his, qui ante peccaverunt et non egerunt paenitentiam super immunditia et luxuria et fornicatione, quam gesserunt* (2 Cor. 12, 21). Circumstant ergo nos et praecepta recte faciendi et exempla non tantum recte facientium, sed etiam paenitentium ad recipiendam salutem, quae fuerat amissa peccando. Sed fac incertum esse, utrum ignoscat Deus. Quid perdit, cum supplicat Deo, qui salutem perdere non dubitavit, cum offenderet Deum? Quis enim certus est, quod etiam imperator ignoscat? Et tamen pecunia funditur, maria transmeantur, procellarum incerta subeuntur et pene, ut mors evitetur, mors ipsa suscipitur. Supplicatur deinde per homines homini; sine dubitatione fiunt ista, cum sit dubium, quo fine proveniant. Et tamen certiores sunt claves ecclesiae quam corda regum, quibus clavibus quodcumque in terra solvitur, etiam in caelo solutum

[1] Tota admonitio, ut singula exempla docent, spectat ad removendam dubitationem, an fideles, qui post baptismum peccata iterantes misericordia Dei abusi sint, denuo indulgentiam consequi possint. Eos, qui etiam post paenitentiam proprie dictam rursus in crimina relabuntur, orator non memorat; non quo iis de indulgentia omnino desperandum sit, sed quia ipsa paenitentia, ad quam peccatores provocare contionis propositum est, illis temporibus semel tantum dabatur (Ep. 153, 7).

promittitur (Mt. 16, 19). Et multo est honestior humilitas, qua se quisque humiliat ecclesiae Dei, et labor minor imponitur, et nullo temporalis mortis periculo mors aeterna vitatur.

Retractationum L. 1, C. 25 (CSEL 36, 127; PL [L. 1, C. 26] 32, 628)[1].

Sexagesima octava est de eo, quod scriptum est: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo* (Rom. 9, 20)? Ubi dixi: „Quia etiamsi levioribus quisque peccatis aut certe quamvis gravioribus et multis, tamen multo gemitu et dolore paenitendi misericordia Dei dignus fuerit, non ipsius erit — qui si relinqueretur, interiret —, sed miserentis Dei, qui eius precibus dolorique subvenit. Parum est enim velle, nisi Deus misereatur; sed Deus non miseretur, qui ad pacem vocat, nisi voluntas praecesserit ad pacem." Hoc dictum est post paenitentiam. Nam est misericordia Dei etiam ipsam praeveniens voluntatem, quae si non esset, non praepararetur voluntas a Domino (Prov. 8, 35 sec. LXX). Ad eam misericordiam pertinet et ipsa vocatio, quae etiam fidem praevenit.

Confessionum L. 9, C. 13, 34—35. (CSEL 33, 223—224; P. L. 32, 778)[2].

34. Ego autem iam sanato corde ab illo vulnere, in quo postea redargui carnales affectus, fundo tibi, Deus noster, pro illa famula tua longe aliud lacrimarum genus, quod manat de concusso spiritu consideratione periculorum omnis animae, quae in Adam moritur. Quamquam illa in Christo vivificata etiam nondum a carne resoluta sic vixerit, ut laudetur nomen tuum in fide moribusque eius, non tamen audeo dicere, ex quo eam per baptismum regenerasti, nullum verbum exisse ab ore eius contra praeceptum tuum. Et dictum est a Veritate, Filio tuo: *Si quis dixerit fratri suo „fatue", reus erit ge-*

[1] Ne ullum locum det errori Semipelagianorum, Augustinus corrigit, quae dixerat ad 68. quaestionem libri de diversis quaestionibus 83. Dei amodo dicit esse non solum peccatoris voluntarie se ad paenitentiam convertentis misereri, sed ipsam etiam voluntatem gratia sua eam praeveniente ad conversionem movere. In quo gratiam praevenientem vel excitantem nondum eandem esse ostendit ac gratiam iustificationis. Cf. In Jo. tr. 49, 24, infra p. 44 et ann. 3; En. in Ps. 84, 16, infra p. 49 et ann. 2; En. in Ps. 110, 3. Cf. ZkTh. p. 219.

[2] Orans pro matre sua defuncta Augustinus modica eius peccata austeritate christiana ponderat. In quo cum bis de iis, quae per annos post baptismum contraxerit, loquatur, altero remissionis sacramento, id est paenitentiae, illa usa non esse videtur.

hennae ignis (Mt. 5, 22). Et vae etiam laudabili vitae hominum, si remota misericordia discutias eam. Quia omnino non exquiris delicta vehementer, fiducialiter speramus aliquem apud te locum. Quisquis autem tibi enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat nisi munera tua? O si cognoscant se homines homines, et *qui gloriatur, in Domino glorietur* (2 Cor. 10, 17)!

35. Ego itaque, laus mea et vita mea, Deus cordis mei, sepositis paulisper bonis eius actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis matris meae deprecor te: exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum, quae pependit in ligno et sedens ad dexteram tuam te *interpellat pro nobis* (Rom. 8, 34). Scio misericorditer operatam et ex corde dimisisse debita debitoribus suis; dimitte et tu illi debita sua, si qua etiam contraxit per tot annos post aquam salutis. Dimitte, Domine, dimitte, obsecro, ne intres cum ea in iudicium (Ps. 142, 2). *Superexultet misericordia iudicio* (Jac. 2, 13), quoniam eloquia tua vera sunt et promisisti misericordiam misericordibus (Mt. 5, 7). Quod ut essent, tu dedisti eis, qui misereberis, cui misertus eris, et misericordiam praestabis, cui misericors fueris (Exod. 33, 19; Rom. 9, 15).

Ep. 95, C. 3 (CSEL 34 II, 508—509; PL 33, 353)[1].

Quid dicam de vindicando vel non vindicando, quando quidem hoc totum ad eorum salutem proficere volumus, in quos vindicandum vel non vindicandum esse arbitramur? Quis etiam sit vindicandi modus non solum pro qualitate vel quantitate culparum, verum etiam pro quibusdam viribus animorum, quid quisque sufferat, quid recuset, ne non solum non proficiat, sed etiam deficiat, quam profundum et latebrosum est! Impendentem quoque vindictam metuentes, quae ab hominibus metuitur, nescio utrum plures correcti sunt quam in deterius abierunt. Quid, cum saepe accidit, ut, si in quemquam vindicaveris, ipse pereat, si inultum reliqueris, alter pereat? Ego in his cotidie peccare me fateor et ignorare, quando quove modo custodiam id, quod scriptum est: *Peccantes coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant* (1 Tim. 5, 20), et quod scriptum est: *Corripe eum inter te et ipsum solum* (Mt. 18, 15), et quod scriptum est: *Nolite ante tempus quemquam iudicare* (1 Cor. 4, 5), et quod scriptum est: *Nolite iudicare, ut non iudicemini* (Mt. 7, 1; Lc. 6, 37), neque enim hic addidit „*ante tempus*“, et quod scriptum est: *Tu quis es, qui iudices alienum ser-*

[1] In hac epistula ad S. Paulinum Nolanum, anno 408 aut 409 scripta, Augustinus de miseriis huius vitae agens mentionem infert magnae illius sollicitudinis et curae, qua praepositi ecclesiae in vindicandis peccatis angantur. Cf. Adam II p. 27 sqq.; KC p. 28 sqq.

vum? Suo domino stat aut cadit; stabit autem; potens est enim Deus statuere illum (Rom. 14, 4), unde confirmat de his se dicere, qui intus sunt. Et rursus eos iudicari iubet, cum dicit: *Quid enim mihi de his, qui foris sunt, iudicare? Nonne de his, qui intus sunt, vos iudicatis? Auferte malum ex vobis ipsis* (1 Cor. 5, 12. 13). Quod cum etiam faciendum videtur, quatenus fiat, quantae curae et timoris est, ne forte contingat, quod de illo ipso intelligitur in secunda ad eosdem epistula cavendum admonere, *ne maiore tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est* (2 Cor. 2, 7)! Et ne quisquam hoc non multum curandum putaret, ibi ait: *Ut non possideamur a satana; non enim ignoramus mentes eius* (2 Cor. 2, 11). Quis in his omnibus tremor, mi Pauline, sancte homo Dei! Quis tremor, quae tenebrae! Nonne putamus de his esse dictum: *Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebrae, et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo et requiescam? Ecce elongavi fugiens et mansi in deserto* (Ps. 54, 6—8). Verum tamen etiam in deserto ipso fortassis expertus sit, quod adiungit: *Exspectabam eum, qui me salvum faceret a pusillanimitate et tempestate* (Ps. 54, 9). Nempe ergo *tentatio est vita humana super terram* (Job. 7, 1) [1].

Ep. 151, C. 9 (CSEL 44, 389; PL 33, 650)[2].

Quodam die frater eius, cum iam pariter in custodia teneretur, ait illi: „Si ego haec pro meritis patior peccatorum meorum, tu, cuius vitam novimus tam attente ferventerque christianam, quibus malis meritis ad ista perductus es?“ At ille: „Parvumne“, inquit, „mihi

[1] Duo ergo sunt, quae episcopum curae animarum intento sic inquietant. Primum quidem quaeritur, utrum in peccatorem quemquam vindicandum sit, an non, id est, utrum utilius sit peccatorem impaenitentem excommunicare, ut censura hac acerbissima correctus ad paenitentiam se convertat, an eum in secreto frustra correptum tolerare, quia timendum sit, ne ipsa excommunicatione obstinatior etiam fiat. Altera autem quaestio ad vindicandi modum pertinet, id est, in quod tempus excommunicatio sit extendenda (2 Cor. 2, 7, 11), cum eam adhibere episcopo visum fuerit, et quo in gradu publicanda sit (cf. serm. 351, 4, 9), ut quantitati culpae viribusque peccatoris congruat. — Falsum alienumque ab Augustino est, verba eius ita intelligere, ut sola correptione secreta peccata remittenda esse docuerit, si excommunicare peccatorem neque ad ipsius neque ad ecclesiae utilitatem expedire videretur. Qui error inde evenit, quod excommunicatio, qua quis vindicandi causa invitus damnatur, confunditur cum illa, quam sponte paenitens una cum paenitentia suscipit. Ad totum cf. Enchir. 80, 21; serm. 351, 4, 10; serm. 17, 3; De fid. et op. 2, 3 sq. potissimum autem Contr. ep. Parm. 3, 13 sqq.

[2] Ep. 151, directa ad Caecilianum anno 413 aut 414, agit de Marcellino tribuno, qui una cum fratre a Marino comite caesus erat. Laudans illius integritatem ac virtutes Augustinus narrat, quid capitis damnatus sibi responderit, cum eum caute de paenitentia monuisset.

existimas conferri divinitus beneficium, si tamen hoc testimonium tuum de vita mea verum est, ut hoc, quod patiar, etiam si usque ad effusionem sanguinis patiar, ibi mea peccata puniantur nec mihi ad futurum iudicium reserventur?" Hic forte aliquis credat eum fuisse sibi conscium aliquorum occultorum impudicitiae peccatorum. Dicam ergo, quid me Dominus Deus ad magnam meam consolationem ex eius ore audire et plane scire voluerit. Cum de hoc ipso, ut sunt humana, sollicitus solus cum solo agerem iam in eadem custodia constituto, ne quid esset, unde maiore et insigniore paenitentia Deum sibi placare deberet [1], ille, ut erat verecundiae singularis, cum ipsam licet falsam meam suspicionem erubesceret, sed admonitionem gratissime acciperet, modeste graviterque subridens et utraque manu meam dexteram adprehendens: „Testor", inquit, „sacramenta, quae per hanc offeruntur manum, me nullum expertum esse concubitum praeter uxorem nec ante nec postea".

Ep. 153, C. 7 (CSEL 44, 401—404; PL 33, 655—656)[2].

In tantum autem hominum iniquitas aliquando progreditur, ut etiam post actam paenitentiam, post altaris reconciliationem vel similia vel graviora committant; et tamen Deus facit etiam super tales oriri solem suum (Mt. 5, 45) nec minus tribuit, quam antea tribuebat, largissima munera vitae ac salutis. Et quamvis eis in ecclesia locus ille paenitentiae non concedatur [3], Deus tamen super eos suae patientiae non obliviscitur. Ex quorum numero si quis nobis dicat: „Aut date mihi eundem iterum paenitendi locum aut despera-

[1] Quamvis ergo paenitentia in mortis accepta periculo neque longiori satisfactioni locum daret (cf. infra ep. 228, 8 p. 37 et ann. 1) neque in ecclesia coram populo ageretur, tamen ad genus paenitentiae maioris pertinere iudicabatur. Proinde qui paenitentia accepta ex infirmitate convaluerant, secundum canonem Nicaenum (can. 13, Mansi II p. 673) paenitentiae legibus subdebantur (cf. AK p. 43 sq.; 107 sqq.). Ceterum hoc Marcellini exemplum etiam iis, qui occulte peccaverant, paenitentiam maiorem subeundam fuisse confirmat.

[2] Macedonius, vicarius Africae, interrogaverat, num ex religione esset, quod episcopi apud iudices intercederent pro reis, cum a Domino peccata adeo prohiberentur, ut ne paenitendi quidem copia post primam paenitentiam tribueretur. Ad quod Augustinus respondens, quid de conditione ac paenitentia sentiat recidivorum, aperit. Scripta est epistula anno circiter 414.

[3] Cf. Hermas, Mand. 4, 1, 8: *Τοῖς γὰρ δούλοις τοῦ θεοῦ μετάνοιά ἐστιν μία.*" Tertullianus, De paen. 7: „Collocavit in vestibulo paenitentiam secundam, quae pulsantibus patefaciat; sed iam semel, quia iam secundo; sed amplius numquam, quia proxime frustra." Ambrosius, De paen. 2, 10, 95: „Merito reprehenduntur, qui saepius agendam paenitentiam putant, quia luxuriantur in Christo . . .; quia sicut unum baptisma, ita una paenitentia, quae tamen publice agitur; nam quotidiani nos debet paenitere peccati; sed haec delictorum leviorum, illa graviorum."

tum me pronuntiate, ut faciam, quidquid libuerit, quantum meis opibus adiuvor et humanis legibus non prohibeor, in scortis omnique luxuria, damnabili quidem apud Deum, sed apud homines plerosque etiam laudabili, aut si me ab hac nequitia revocatis, dicite, utrum mihi aliquid prosit ad vitam futuram, si in ista vita illecebrosissimae voluptatis blandimenta contempsero, si libidinum incitamenta frenavero, si ad castigandum corpus meum multa mihi etiam licita et concessa subtraxero, si me paenitendo vehementius quam prius excruciavero, si miserabilius ingemuero, si flevero uberius, si vixero melius, si pauperes sustentavero largius, si caritate, quae *cooperit multitudinem peccatorum* (1 Petr. 4, 8), flagravero ardentius", quis nostrum ita desipit, ut huic homini dicat: „Nihil tibi ista in posterum proderunt; vade, saltem vitae huius suavitate perfruere?" Averterit Deus tam immanem sacrilegamque dementiam! Quamvis ergo caute salubriterque provisum sit, ut locus illius humillimae paenitentiae semel in ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus utilis esset aegrotis, quae tanto magis salubris erit, quanto minus contemptibilis fuerit, quis tamen audeat Deo dicere: „Quare huic homini, qui post primam paenitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis?" Quis audeat dicere erga istos non agi, quod apostolus ait: *Ignoras, quia patientia Dei ad paenitentiam te adducit* (Rom. 2, 4)? aut istis exceptis esse definitum, quod scriptum est: *Beati omnes, qui confidunt in eum* (Ps. 2, 13), aut ad istos non pertinere, quod dicitur: *Viriliter agite et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino* (Ps. 30, 25)? [1].

Ep. 228, C. 8 (CSEL 57, 490—491; PL 33, 1016—1017)[2].

An non cogitamus, cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in ecclesia fieri soleat ab utroque sexu atque ab omni aetate concursus, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam paenitentiae ipsius

[1] Hinc apparet recidivos a paenitentia quidem proprie dicta, non vero a divina misericordia habitos esse interclusos, Deo ad ecclesiasticam paenitentiae legem non alligato. Frustra nonnulli ex studio, quo Augustinus miserrimorum illorum causam agit, eos etsi non ad publicam, tamen ad secretam admissos esse paenitentiam colligere volunt. Hoc tantum ex decreto Siricii papae eis concedebatur, ut in extremis constituti „viatico munere per communionis gratiam sublevarentur" (Ep. Siricii 1, 5 ad Himerium, Mansi III p. 657). — Cf. ZkTh p. 511 sqq.; AK p. 59 sqq.; Adam I p. 153 sqq.

[2] Ep. 228, scripta ad Honoratum episcopum anno 428 aut 429, Vandalis Africae imminentibus praemonet, ne episcopi aut clerici fugientes ecclesias suas orbatas relinquant, cum ad ipsum periculum huius temporis eorum ministerium fidelibus quam maxime necessarium sit.

actionem [1], omnibus consolationem et sacramentorum confectionem et erogationem? Ubi si ministri desint, quantum exitium sequatur eos, qui de isto saeculo vel non regenerati exeunt vel ligati? Quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitae aeternae requiem non habebunt? Quantus denique gemitus omnium et quorundam quanta blasphemia de absentia ministeriorum et ministrorum? Vide, quid faciat malorum temporalium timor, et quanta in eo sit acquisitio malorum aeternorum. Si autem ministri adsint, pro viribus, quas eis Dominus subministrat, omnibus subvenitur: alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli Dominici corporis communione fraudantur, omnes consolantur, aedificantur, exhortantur, ut Deum rogent, qui potens est omnia, quae timentur, avertere, parati ad utrumque, ut, si non potest ab eis calix iste transire, fiat voluntas eius (Mt. 26, 42), qui mali aliquid non potest velle.

Ep. 265, C. 2; 7; 8 (CSEL 57, 639; 645—646; PL 33, 1086; 1088—89)[2].

Cap. 2. Quod autem Petrus dicitur egisse paenitentiam, cavendum est, ne ita putetur egisse, quo modo agunt in ecclesia, qui proprie paenitentes vocantur. Et quis hoc ferat, ut primum apostolorum inter tales paenitentes numerandum putemus [3]? Paenituit enim eum negasse Christum, quod eius indicant lacrimae; sic enim scriptum

[1] Reconciliationem poscunt ii, qui paenitentiam iam antea acceperunt, paenitentiae actionem, qui imminente demum periculo mortis se convertunt. Et ipsi quoque ad communionem admittuntur. Cf. alia illius temporis documenta: Innocentius I, ep. 3, 2 ad Exsuper. (Mansi III p. 1039): „in extremo fine vitae suae paenitentiam simul et reconciliationem communionis poscunt"; Leo I, ep. 108, 4 ad Theodor. (Mansi VI p. 210): „praesidium paenitentiae et mox reconciliationis implorant"; item Statuta ecclesiae antiqua (quae ex concilio aliquo Africano originem ducunt), can. 76; 77; 78 (Mansi III p. 957). — Maximi momenti haec Augustini expositio ideo est, quia reconciliationis effectum aequiparans effectui baptismi illius vim sacramentalem apertissime docet.

[2] Epistula, directa ad Seleucianam piam feminam, refellit errorem cuiusdam Novatiani de baptismo et paenitentia Petri.

[3] Ex quo cognoscitur paenitentiam hanc vero christiano indignam existimatam esse. Revera, qui paenitentiam acceperant, in omne vitae suae tempus infamati habebantur, ut ad clericatum non admitterentur. Cf. En. in Ps. 61, 23; Contr. Crescon. 2, 16, 19; praeterea Siricius, ep. 1, 14 ad Himerium (Mansi III p. 675): „Post paenitudinem et reconciliationem nulli umquam laico liceat honorem clericatus adipisci, quia, quamvis sint omni peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum." Stat. eccl. antiqu. can. 68 (Mansi III p. 956): „Ex paenitentibus, quamvis sit bonus, clericus non ordinetur." Item Innocentius I ep. 6 ad episc. Apulos (Mansi III p. 1047), alii. Vid. AK p. 62; 101 sq.; 147 sq.

est, quia *flevit amare* (Mt. 26, 75; Lc. 22, 62). Nondum enim fuerant resurrectione Domini confirmati et illo adventu Spiritus sancti, qui apparuit die pentecostes, vel illa inspiratione, quam demonstravit Dominus, posteaquam resurrexit a mortuis, cum sufflavit in eorum faciem dicens: *Accipite Spiritum sanctum* (Jo. 20, 22).

Cap. 7. Agunt enim homines ante baptismum paenitentiam de suis prioribus peccatis, ita tamen, ut etiam baptizentur [1], sicut scriptum est in Actibus apostolorum loquente Petro ad Judaeos et dicente: *Agite paenitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi; et dimittentur vobis peccata vestra* (Act. 2, 38). Agunt etiam homines paenitentiam, si post baptismum ita peccaverint, ut excommunicari et postea reconciliari mereantur [2], sicut agunt in omnibus ecclesiis illi, qui proprie paenitentes appellantur. De tali enim paenitentia locutus est apostolus Paulus, ubi ait: *Ne, iterum cum venero, humiliet me Deus ad vos et lugeam multos ex his, qui ante peccaverunt et non egerunt paenitentiam super immunditia et luxuria et fornicatione, quam egerunt* (2 Cor. 12, 21); neque enim scribebat ista nisi eis, qui iam fuerant baptizati. Habemus etiam in Actibus apostolorum Simonem iam baptizatum, cum pecunia vellet emere, ut per impositionem manus eius daretur Spiritus sanctus, admonitum a Petro, ut de hoc gravi peccato ageret paenitentiam (Act. 8, 18—23) [3].

Cap. 8. Est etiam paenitentia bonorum et humilium fidelium pene cotidiana, in qua pectora tundimus dicentes: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (Mt. 6, 12). Neque enim ea nobis dimitti volumus, quae dimissa non dubitamus in baptismo, sed illa utique, quae humanae fragilitati quamvis parva, tamen crebra subrepunt, quae si collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt et oppriment sicut unum aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium, utrum uno grandi fluctu navis operiatur et obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam et per negligentiam derelicta atque contempta impleat navem atque submergat [4]? Propter hoc ieiunia et eleemosynae et orationes invigilant. In quibus cum dicimus: *Dimitte nobis, sicut et nos dimittimus*, manifestamus habere nos, quod nobis dimittatur, atque in his verbis humiliantes animas nostras cotidianam quodam modo agere paenitentiam non cessamus.

---

[1] Novatianus ille paenitentiam solam ante baptismum esse dixerat (cap. 6). Contra quod Augustinus tria esse genera paenitentiae ostendit. Cf. serm. 351, 2, 2, supra p. 17 et ann. 1.

[2] Cf. supra p. 6 ann. 1.

[3] Cf. serm. 351, 5, 12.

[4] Vid. supra p. 21 ann. 2.

Quaest. in Heptateuch., L. 3 qu. 1 (CSEL 28, 233—234; PL 34, 673)[1].

Si autem anima peccaverit et audierit vocem iurationis, et ipse testis fuerit aut viderit aut conscius fuerit, si non nuntiaverit, et accipiet peccatum (Lev. 5, 1), hoc est: si non nuntiaverit, accipiet peccatum. Quod enim additum est „et", locutionis est usitatae in scripturis. Verum iste sensus quia obscurus est, exponendus videtur. Hoc enim videtur dicere, peccare hominem, quo audiente iurat aliquis falsum, et scit eum falsum iurare et tacet. Tunc autem scit, si ei rei, de qua iuratur, testis fuit aut vidit aut conscius fuit, id est aliquo modo cognovit aut oculis suis conspexit, aut ipse, qui iurat, illi indicavit; ita enim potuit esse conscius. Sed inter timorem huius peccati et timorem proditionis hominum non parva existit plerumque tentatio. Possumus enim paratum ad periurium admonendo vel prohibendo a tam gravi peccato revocare; sed si non audierit et coram nobis de re, quam novimus, falsum iuraverit, utrum prodendus sit, si proditus etiam in periculum mortis incurrat, difficillima quaestio est. Sed quia non hic expressit, cui hoc indicandum est, utrum illi, cui iuratur, an sacerdoti vel cuipiam [2], qui non solum eum persequi non potest irrogando supplicium, sed etiam orare pro illo potest, videtur mihi, quod se homo solvat etiam a peccati vinculo, si indicet talibus, qui magis possunt prodesse quam obesse periuro sive ad corrigendum eum sive ad Deum pro illo placandum, si et ipse confessionis adhibeat medicinam.

Quaest. in Heptateuch., L. 4 qu. 24—25 (CSEL 28, 332—335; PL 36, 727—729)[3].

Qu. 24. Quod praecipitur, quomodo expientur peccata, quae non sponte committuntur, merito quaeritur, quae sint ipsa peccata nolen-

---

[1] Quaestionum in Heptateuchum libri VII conscripti sunt anno circiter 419. Ad paenitentiae doctrinam textus hic redditus pertinet, inquantum de obligatione agit indicandi flagitia aliorum. De qua obligatione cf. serm. 351, 4, 10; 392, 4.

[2] Attendas ad hoc „vel cuipiam". Quodsi non solum sacerdotem, sed etiam quemcumque laicum orando periurum adiuvare posse ponitur, aperte errant, qui testimonia privatae paenitentiae quaerentes huic „orare pro illo" vim absolutionis sacramentalis tribuere volunt. Ita Galtier, l. c. p. 324 sq.

[3] Explicans Num. 15, 24—31, ubi agitur de peccatis nescientium et nolentium, quibus sacerdotes oblationibus orationibusque veniam impetrare possint, atque de peccatis superbiae, quae veniam non capiant, Augustinus inquirit, quae sint ipsa peccata nescientium, nolentium, superbientium. — Cf. textus supra p. 13 ann. 5 collectos, imprimis autem De div. quaest. 83, 26.

tium: utrum quae a nescientibus committuntur, an etiam possit recte dici peccatum esse nolentis, quod facere compellitur; nam et hoc contra voluntatem facere dici solet. Sed utique vult, propter quod facit; tamquam si peierare nolit, et facit, cum vult vivere, si quisquam, nisi fecerit, mortem minetur. Vult ergo facere, quia vult vivere, et ideo non per se ipsum appetendo, ut falsum iuret, sed ut falsum iurando vivat. Quod si ita est, nescio, utrum possint dici ista peccata nolentium, qualia hic dicuntur expianda. Nam si diligenter consideretur, forte ipsum peccare nemo velit, sed propter aliud fit, quod vult, qui peccat. Omnes quippe homines, qui scientes faciunt, quod non licet, vellent licere; usque adeo ipsum peccare nemo appetit propter hoc ipsum, sed propter illud, quod ex eo consequitur. Haec si ita se habent, non sunt peccata nolentium nisi nescientium, quae discernuntur a peccatis volentium.

Qu. 25. *Et anima, quaecumque peccaverit in manu superbiae ex indigenis aut ex proselytis, Deum hic exacerbat, et exterminabitur anima illa de populo suo, quoniam verbum Domini contempsit et mandata eius dispersit; contritione conteretur anima illa, peccatum eius in illa* (Num. 15, 30—31). Quae sint peccata, quae fiunt *in manu superbiae*, id est superbia committuntur, scriptura ipsa in consequentibus satis exposuit, ubi ait: *quoniam verbum Domini contempsit.* Aliud est ergo praecepta contemnere, aliud magni quidem pendere, sed aut ignarum contra facere aut victum. Quae duo fortasse pertineant ad illa peccata, quae a nolentibus fiunt, de quibus superius, quemadmodum Deo propitiato expiarentur, admonuit ac inde subiecit peccata superbiae, cum quisque superbiendo, id est praeceptum contemnendo perperam facit. Quod genus peccati non dixit ullo genere sacrificii purgari oportere tamquam insanabile iudicans illa dumtaxat curatione, quae per sacrificia gerebatur, qualia facienda in hac scriptura praecipiuntur. Quae si per se ipsa attendantur, nullo peccato possunt mederi; si autem res ipsae, quarum haec sacramenta sunt, inquirantur, in eis inveniri poterit purgatio peccatorum. Quod ergo scriptum est: *Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit* (Prov. 18, 3), iste significatus est, quem scriptura hoc loco dicit *in manu superbiae* delinquere. Hoc ergo sine poena eius, qui committit, non potest aboleri; atque ideo non potest esse impunitum, et cum paenitendo sanatur [1]. Ipsa

[1] Sensus est: Peccatum superbiae est insanabile, quatenus non sine poena eius, qui peccavit, sanari potest sicut peccata infirmitatis et ignorantiae. Quam tamen poenam peccator subdendo se paenitentiae graviori solvit, unde et ipse indulgentiam consequitur. — Idem ipsum iam Origenes docuerat. In Lev. hom. 11, 2: „Nunc vero non infertur poena corpori, nec purgatio peccati per corporale supplicium constat, sed per paenitentiam; quam utrum quis digne gerat, ita ut mereri pro ea veniam possit, videto." Ab Origene rationem quoque illam conec-

enim afflictio paenitentis poena peccati est, quamvis medicinalis et salubris. Merito quippe magnum iudicatur peccatum, cum superbia praeceptum contemnit; sed e contrario, ut sanari possit, *cor contritum et humiliatum Deus non spernit* (Ps. 50, 19). Verumtamen quia sine poena non fit, ideo hinc talia dicta sunt. *Deum*, inquit, *hic exacerbat*, quia *Deus superbis resistit* (Jac. 4, 6). *Et exterminabitur anima illa de populo suo* — quoniam talis omnino in numero eorum, qui ad Deum pertinent, non est —, *quoniam verbum Domini contempsit et mandata eius dispersit; contritione conteretur anima illa.* Quare autem *contritione conteretur*, consequenter adiungit dicens: *peccatum eius in illa.* Ac per hoc, si tali peccato debitam contritionem ipse sibi adhibeat paenitendo, *cor contritum*, ut dictum est, *Deus non spernit*. . . . Verum illa discretio magis magisque consideranda est [1], utrum nemo peccet nisi aut ignarus aut victus aut contemnens: unde nunc longum est disputare.

Speculum de scriptura sacra, C. 29 [ad Act. 15, 20 sqq.] (CSEL 12, 199—200; PL 34, 994)[2].

Videmus apostolos eis, qui ex gentibus crediderunt, nulla voluisse onera Veteris Legis imponere, quantum attinet ad corporalis abstinentiam voluptatis, nisi ut observarent ab his tribus, id est ab eis, quae idolis immolarentur, et a sanguine et a fornicatione. Unde nonnulli putant tria tantum crimina esse mortifera, idololatriam et homicidium et fornicationem, ubi utique et adulterium et omnis praeter uxorem concubitus intelligitur; quasi non sint mortifera crimina, quaecumque alia sunt praeter haec tria, quae a regno Dei separant, aut inaniter aut fallaciter dictum sit: *Neque fures neque avari neque ebriosi neque maledici neque rapaces regnum Dei possidebun* (1 Cor. 6, 10) [3].

tendi ecclesiasticum quoad paenitentiam usum cum iis, quas in Lege Vetere de expiandis peccatis praescripta erant, Augustinus mutuatus est. Cf. Origenes, In Lev. hom. 2; De or. 28, 8—10. Ad quod vid. infra p. 89 ann. 1.

[1] Ex hac enim discretione difficillimum illud iudicium (cf. Enchir. 80, 21; ep. 95, 3) pendet, qui ad paenitentiam maiorem cogendi sint (De div. quaest. 83, 26).

[2] Nomen suum opus hoc, scriptum sub annum 427, inde ducit, quod praecepta divina ad regulam vitae pertinentia ex tota scriptura in unum tamquam speculum congesta habet (Praefatio).

[3] Cf. De fid. et op. 19, 34: „Qui autem opinantur cetera eleemosynis facile compensari, tria tamen mortifera esse non dubitant et excommunicatione punienda, donec paenitentia humiliore sanentur, impudicitiam, idololatriam, homicidium, neque nunc opus est quaerere, qualis sit eorum ista sententia, et utrum corrigenda an approbanda." — In illis, qui eam sequebantur, erat Pacianus Barcinonensis (Paraenesis ad paenitentiam, c. 4). Ceteroquin cf. supra p. 14 ann. 1.

Quaestionum XVII in Matth., qu. 11, 3 (PL 35, 1368)[1].

Quapropter illi soli catholici mali[2] recte deputantur, qui quamvis vera credant, quae ad fidei doctrinam pertinent, et si quid forte nesciunt, quaerendum existiment et salva pietate discutiant sine aliquo praeiudicio ipsius veritatis et bonos, vel quos bonos putant, ament atque honorent, quantum possunt, tamen flagitiose atque facinorose vivunt, contra quam vivendum esse credunt. Tales enim etiamsi prodantur aut accusentur, pro disciplina ecclesiae salutisque suae causa correpti vel a communione suspensi nullo modo sibi recedendum esse a communione catholica existimant, quocumque permissi fuerint satisfactionis quaerentes locum[3]. Et aliquando per paenitentiam in frumenta mutantur[4], sive correpti sive remoti sive etiam verbo Dei nullo nominatim accusante aut increpante perterriti[5]. Aliquando autem etiam sub nomine paenitentium ita vivunt ut solent, aut non multo minus, quidam etiam amplius[6]; nullo modo tamen a catholica unitate discedunt. Quibus ita viventibus si mors obrepserit, paleae deputantur usque in finem. Hoc etiam ipsi credunt. Nam si aliter credunt et inconcusse tenent, iam inter haereticos numerandi sunt putantes omnibus Deum, etiam in magna iniquitate perseverantibus, tantum quia ecclesiae unitatem non sincera dilectione — nam bene viverent —, sed magis poenarum timore tenuerunt, veniam daturum[7]. Isti ergo non hoc credunt vel non firmiter opinantur, etsi adhuc forsitan quaerunt, sed magis eos decipit spes dilationis, dum se diutius victuros putant et perditos mores aliquando in melius mutaturos.

---

[1] Liber hic num ab ipso Augustino compositus sit, pro certo dici non potest. Attamen, quae continet responsa, ab eo data esse verisimile est. Cf. Morin, Revue Bénédictine 28 (1911) p. 8 sq. — Qu. 11 agit de malis in ecclesia eorumque, cum paenitentiam acceperint, vita.

[2] Catholici mali distinguuntur ab haereticis et schismaticis, de quibus iam sermo fuit.

[3] id est, quaecumque satisfactio eis imposita fuerit.

[4] Ex paleis (Mt. 3, 12).

[5] Diversis modis ad paenitentiam adducti sunt: alii, cum (secreto) correpti, alii, correptionem negligentes, cum excommunicati, alii, cum in ecclesia contionatoris verbis ita animo percussi fuerint, ut nullo corripiente aut indicante sponte se converterent (cf. serm. 82, 8, 11 sq.).

[6] Cf. serm. 232, 7, 8; serm. 392, 6.

[7] Vid. Enchir. 67, 18.

In Joannis evangelium tractatus 49, C 3 et 24 (PL 35, 1747–48 et 1756–57)[1].

Cap. 3. Si ergo Dominus magna sua gratia et magna sua misericordia animas suscitat, ne moriamur in aeternum, bene intelligimus tres illos mortuos, quos in corporibus suscitavit, aliquid significare et figurare de resurrectionibus animarum, quae fiunt per fidem: resuscitavit filiam archisynagogi adhuc in domo iacentem (Mc. 5, 41. 42), resuscitavit iuvenem filium viduae extra portas civitatis elatum (Lc. 7, 14. 15), resuscitavit Lazarum sepultum quatriduanum (Jo. 11, 43–44). Intueatur quisque animam suam: si peccat, moritur; peccatum mors est animae. Sed aliquando cogitatione peccatur. Delectavit, quod malum est, consensisti, peccasti. Consensio illa occidit te; sed intus est mors, quia cogitatum malum nondum processit in factum. Talem animam resuscitare se significans Dominus resuscitavit illam puellam, quae nondum erat foras elata, sed in domo mortua iacebat, quasi peccatum latebat. Si autem non solum malae delectationi consensisti, sed etiam ipsum malum fecisti, quasi mortuum extra portam extulisti; iam foris es et mortuus elatus es. Tamen et ipsum Dominus resuscitavit et reddidit viduae matri suae. Si peccasti, paeniteat te, et resuscitat te Dominus et reddet ecclesiae matri tuae. Tertius mortuus est Lazarus. Est genus mortis immane, mala consuetudo appellatur. Aliud est enim peccare, aliud peccandi consuetudinem facere. Qui peccat et continuo corrigitur, cito reviviscit, quia nondum est implicatus consuetudine, non est sepultus. Qui autem peccare consuevit, sepultus est, et bene de illo dicitur „*fetet*“ (Jo 11, 39); incipit enim habere pessimam famam tamquam odorem teterrimum. Tales sunt omnes assueti sceleribus, perditi moribus. Dicis ei: noli facere. Quando te audit, quem terra sic premit et tabe corrumpitur et mole consuetudinis praegravatur? Nec ad ipsum tamen resuscitandum minor fuit virtus Christi. Novimus, vidimus, quotidie videmus homines pessima consuetudine permutata vivere melius, quam vivunt, qui reprehendebant. Detestabaris hominem: ecce ipsa soror Lazari — si tamen ipsa est, quae pedes Domini unxit unguento et tersit capillis suis, quos laverat lacrimis — melius suscitata est quam frater eius; de magna malae consuetudinis mole est liberata. Erat enim famosa peccatrix. Et de illa dictum est: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (Lc. 7, 37–47). Videmus multos, novimus multos; nemo desperet, nemo de se praesumat. Et desperare

[1] Tractatus 124 in ev. Joannis homiliae sunt sub annum 416 habitae. Tr. 49 de resuscitatione Lazari agit.

malum est et de se praesumere. Sic noli desperare, ut eligas, de quo debeas praesumere [1].

Cap. 24. *Tulerunt ergo lapidem. Jesus autem elevatis sursum oculis dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam exaudisti me . . . Haec cum dixisset, voce magna clamavit* (Jo 11, 41—43). Fremuit, lacrimavit, voce magna clamavit. Quam difficile surgit, quem moles malae consuetudinis premit! Sed tamen surgit. Occulta gratia intus vivificatur, surgit post vocem magnam. Quid est factum? *Voce magna clamavit: Lazare, veni foras! Et statim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus manus et pedes institis, et facies illius sudario erat ligata* (Jo. 11, 43. 44). Quomodo processit ligatis pedibus, miraris, et non miraris, quia surrexit quatriduanus? In utroque potentia Domini erat, non vires mortui. Processit et adhuc ligatus est; adhuc involutus, tamen iam foras processit. Quid significat? Quando contemnis [2], mortuus iaces; et si tanta, quanta dixi, contemnis, sepultus iaces; quando profiteris, procedis. Quid est enim procedere nisi ab occultis velut exeundo manifestari? Sed ut confitearis, Deus facit magna voce clamando, id est magna gratia vocando. Ideo cum processisset mortuus adhuc ligatus, confitens et adhuc reus, ut solverentur peccata eius, ministris hoc dixit Dominus: *Solvite illum et sinite abire* (Jo. 11, 44). Quid est: *Solvite et sinite abire? Quae solveritis in terra, soluta erunt et in caelo* (Mt. 16, 19) [3].

In Joannis evangelium tractatus 121, C. 4 (PL 35, 1958).

Quorum remiseritis, inquit, *peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (Jo. 20, 23). Ecclesiae caritas, quae per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, participum suorum peccata

---

[1] Eadem haec allegoria trium illorum mortuorum tria peccatorum genera figurantium reperitur in serm. 98, 4, 4 et serm. 128, 12, 14; in aliis autem locis Lazarus imaginem quoque repraesentat resuscitandi peccatoris simpliciter (cf. In Jo. tr. 22, 7; serm. 67, 1, 2 sq.; serm. 295, 3, 2; serm. 352, 3, 8), unde neque necesse est neque licet, quae in ea de solvendo peccatore per claves ecclesiae dicta sunt, nonnisi ad eos referre, qui in consuetudinem peccandi venerint, ita ut his solis, non tamen iis, qui semel aut raro deliquerint, paenitentia maior subeunda fuerit. Sic Adam II p. 77 sqq.; at KC p. 78 sqq.

[2] Scil. evangelium et poenas aeternas (cap. 19).

[3] Exponitur hic, quid in delendo peccato Dei sit et quid ecclesiae. Atque ad solum Deum pertinet, id quod Augustinus contra Pelagianos etiam atque etiam praedicat, peccatorem resuscitare, id est gratia sua praevenienti ad confessionem ac paenitentiam vocare. Quae tamen gratia vocans nondum est remissio peccati. Resuscitatus adhuc ligatus est, confitens adhuc reus. Solvere eum pertinet ad ministros ecclesiae. — Iisdem ferme verbis Augustinus rem explicat In Jo. tr. 22, 7; serm. 67, 1, 2 sq.; serm. 98, 6; serm. 295, 3, 2; serm. 352, 3, 8; serm. Mai 125 (Misc. Ag. I, 355). Cf. ZkTh p. 214 sqq.

dimittit, eorum autem, qui non sunt eius participes, tenet [1]. Ideo posteaquam dixit: *Accipite Spiritum sanctum*, hoc continuo de peccatorum remissione ac detentione subiecit.

In epistolam Joannis ad Parthos tractatus 1, C. 5 et 6 (PL 1982—1983).

Cap. 5. . . . *Et sanguis Jesu Christi Filii eius purgabit nos ab omni delicto* (1 Jo. 1, 7). Magnam securitatem dedit Deus. Merito pascha celebramus, ubi fusus est sanguis Domini, quo purgamur ab omni delicto. Simus securi: cautionem contra nos servitutis diabolus tenebat, sed sanguine Christi deleta est. *Sanguis*, inquit, *Filii eius purgabit nos ab omni delicto.* Quid est: *ab omni delicto*? Attendite! Ecce iam in nomine Christi per sanguinem eius, quem nunc confessi sunt isti, qui appellantur infantes, mundata sunt omnia peccata ipsorum. Veteres intraverunt, novi exierunt. Quid est: veteres intraverunt, novi exierunt? Senes intraverunt, infantes exierunt. Senectus enim veternosa vetusta vita, infantia autem regenerationis nova vita. Sed quid facimus? Praeterita peccata donata sunt, non tantum ipsis, sed et nobis; et post donationem et abolitionem omnium peccatorum vivendo in hoc saeculo inter tentationes quaedam forte contracta sunt. Ideo, quod potest, homo faciat; ipse confiteatur, quod est, ut ab illo curetur, qui semper est, quod est. Ipse enim semper erat et est, nos non eramus et sumus [2].

[1] Inde sequitur, ut peccata remittantur ipsa communione ecclesiae vel reconciliatione, quae paenitentem membrum ecclesiae participemque Spiritus sancti reddit. Cf. De bapt. c. Donat. 3, 18, 23: „Pax ecclesiae dimittit peccata, et ab ecclesiae pace alienatio tenet peccata." C. Cresc. 2, 16: „quod civitas Dei recipiendo efficit innocentes." Propterea, cum non ipsa resuscitatio, sed reconciliatio peccatori Spiritum sanctum reddat, cui quin Augustinus opus iustificationis tribuat, nemo dubitat, reconciliatio causa effectiva remissionis apparet, quae paenitentiae graviori virtutem sacramenti dat. — Cf. quod supra p. 24 ann. 1 de ipsa huiusmodi paenitentiae ratione dictum est. Ad totum vid. ZkTh 414 sqq.

[2] Explicatur, quae sit differentia inter remissionem, quae fit in baptismo, et eam, quae pro peccatis post baptismum commissis impetratur. In baptismo quippe operatur sanguis Christi, ut peccata simpliciter donentur; quae autem postea contracta sunt, homo ipse, quod potest, facere debet, ut sibi a Deo remittantur. — Cf. Ep. ad Rom. inch. expos. 19: „Nam et illud ad Hebraeos qui diligentius pertractant, sic intelligunt, ut non de sacrificio contribulati per paenitentiam cordis accipiendum sit, quod dictum est: Non adhuc pro peccatis relinquitur sacrificium (Hebr. 10, 26), sed de sacrificio, de quo tunc loquebatur apostolus, id est holocausto Dominicae passionis, quod eo tempore offert quisque pro peccatis suis, quo eiusdem passionis fide dedicatur et christianorum fidelium nomine baptizatus imbuitur." Quae quidam doctrina antiquis communis erat. Ita Cyprianus, ep. 55, 12: „Dominus hortatur per opera rursus exurgere, quia scriptum est: eleemosyna a morte liberat (Tob. 4, 10), et non utique ab illa morte, quam

Cap. 6. Vide enim, quid dicat: . . . *Quod si confessi fuerimus delicta nostra, fidelis est et iustus, ut dimittat nobis delicta nostra et purget nos ab omni iniquitate* (1 Jo. 1, 9). Non tantum praeterita, sed et si qua forte contraximus ex hac vita, quia non potest homo, quamdiu carnem portat, nisi habere vel levia peccata. Sed ista levia, quae dicimus, noli contemnere. Si contemnis, quando appendis, expavesce, quando numeras. Levia multa faciunt unum grande; multae guttae implent flumen, multa grana faciunt massam [1]. Et quae spes est? Ante omnia confessio: ne quisquam se iustum putet, et ante oculos Dei, qui videt, quod est, erigat cervicem homo, qui non erat et est. Ante omnia ergo confessio, deinde dilectio; quia de caritate quid dictum est? *Caritas cooperit multitudinem peccatorum* (1 Petr. 4, 8). Iam videamus, si ipsam caritatem commendat propter subrepentia delicta, quia sola caritas extinguit delicta. Superbia extinguit caritatem, humilitas ergo roborat caritatem, caritas extinguit delicta. Humilitas pertinet ad confessionem, qua confitemur nos peccatores esse. Ipsa est humilitas, non ut dicamus illud lingua, quasi propter arrogantiam ne displiceamus hominibus, si nos iustos esse dixerimus. Faciunt hoc impii et insani: Scio quidem, quia iustus sum, sed quid dicturus sum ante homines? Si me iustum dixero, quis ferat, quis toleret? Apud Deum nota sit iustitia mea; ego tamen dicam me peccatorem; non quia sum, sed ne arrogantia odiosus inveniar. Dic hominibus, quod es, dic Deo, quod es! Quia si non dixeris Deo, quod es, damnat Deus, quod in te inveniet. Non vis, ut ille damnet? Tu damna. Vis, ut ille ignoscat? Tu agnosce, ut possis Deo dicere: *Averte faciem tuam a peccatis meis.* Dic illi etiam illa verba in ipso Psalmo: *Quoniam iniquitatem meam ego agnosco* (Ps. 50, 11. 5) [2].

---

semel Christi sanguis extinxit et a qua aqua nos salutaris baptismi et redemptoris nostri gratia liberavit, sed ab ea, quae per delicta postmodum serpit." — Aliorum Patrum testimonia notata vid. ZkTh p. 211 ann. 1.

[1] Cf. supra p. 21 ann. 2.

[2] Confessio apud Augustinum sicut omnino apud antiquos sensum habet non tam confitendi peccata aliis vel etiam ipsi sacerdoti quam confitendi Deo, vel quod idem est, agnoscendi peccata sua, accusandi se ipsum coram Deo ac faciendi, quod ad consequendam veniam requiritur; eadem denique fere est quae contritio, unde et illam, de qua Augustinus hic loquitur, necessitudinem ad caritatem habet (cf. In Ps. 84, 16; In Ps. 110, 3; Ep. ad Rom. inch. expos. 9; serm. 20, 2; serm. 67, 1, 2; saepius.) Attamen si agitur de peccatis mortiferis, nomen confessionis externam quoque confessionem significat, qua peccator et sacerdoti secreta conscientiae aperit et accepta paenitentia coram populo peccatorem se profitetur. Cuiusmodi confessionem, quae Graece *ἐξομολόγησις* vocatur, Augustinus denotat, cum confitentem „foras procedere" dicit (In Jo. tr. 49, 24; cf. textus supra p. 44 ann. 3 cit.). Ad totum vid. Adam I p. 11 sqq.

Enarratio in Psalmum 58, Sermo 1, C. 13 (PL 36, 701)[1].

Iniquitas omnis, parva magnave sit, puniatur necesse est, aut ab ipso homine paenitente aut a Deo vindicante [2]. Nam et quem paenitet, punit seipsum. Ergo, fratres, puniamus nostra peccata, si quaerimus misericordiam Dei. Non potest Deus misereri omnium operantium iniquitatem quasi blandiens peccatis aut non eradicans peccata. Prorsus aut punis aut punit. Vis non puniat? Puni tu! Nam et illud fecisti, quod impunitum esse non possit. Sed a te puniatur potius, ut facias, quod in illo Psalmo scriptum est: *Praeveniamus faciem eius in confessione* (Ps. 94, 2). Quid est: *praeveniamus faciem eius*? Antequam ipse attendat, ut puniat, tu praeveni confitendo et puni. Non ille inveniat, quod puniat. Quia cum tu punis iniquitatem, facis aequitatem. Et ideo tui miserebitur Deus, quia iam te operantem aequitatem invenit Deus.

Enarratio in Psalmum 61, C. 23 (PL 36, 746—747)[3].

Illa ecclesiae sitis etiam istum, quem videtis, bibere vult. Simul etiam ut noveritis, quam multi in commixtione christianorum ore suo benedicant et in corde suo maledicant, iste ex christiano et fideli paenitens redit et territus potestate Domini convertitur ad misericordiam Domini. Seductus enim ab inimico, cum esset fidelis, diu mathematicus fuit; seductus seducens, deceptus decipiens, illexit, fefellit, multa mendacia locutus est contra Deum, qui dedit hominibus potestatem faciendi, quod bonum est, et non faciendi, quod malum est. Iste dicebat, quia adulterium non faciebat voluntas propria, sed Venus, et homicidium non faciebat voluntas propria, sed Mars, et iustum non faciebat Deus, sed Jovis, et alia multa sacrilega non parva. Quam multis eum putatis christianis nummos abstulisse? Quam multi ab illo emerunt mendacium, quibus dicebamus: *Filii hominum, usquequo graves corde? utquid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium* (Ps. 4, 3)? Modo, sicut de illo credendum est, horruit mendacium et multorum hominem illectorem se aliquando a diabolo sensit illectum; convertitur ad Deum paenitens. Putamus, fratres, de magno timore cordis accidisse. Quid enim dicturi sumus? Namque

[1] Enarrationes in Psalmos (exceptis 1—32) sermones sunt diversis temporibus, sed plerumque ante annum 415 habiti.

[2] Hac sententia, ad quam posteri doctores identidem provocaturi sunt, ratio paenitendi rectissime significatur. Cf. serm. 1, 13; ep. 153, 6; praeterea In Jo. ad Parth. 1, 5, supra p. 45 et ann. 2.

[3] Textus modum publice corripiendi peccatorem ante oculos exponit. Cf. serm. 82, 6, 9 sq.; serm. 351, 4, 9, supra p. 26 et ann. 1.

si ex pagano converteretur mathematicus, magnum quidem esset gaudium; sed tamen posset videri, quia si conversus esset, clericatum quaereret in ecclesia. Paenitens est, non quaerit nisi solam misericordiam[1]. Commendandus est ergo et oculis et cordibus vestris. Eum, quem videtis, cordibus amate, oculis custodite. Videte illum, scitote illum, et quacumque ille transierit, fratribus ceteris, qui modo hic non sunt, ostendite illum. Et ista diligentia misericordia est, ne ille seductor retrahat cor et oppugnet. Custodite vos; non vos lateat conversatio eius, via eius, ut testimonio vestro nobis confirmetur vere illum ad Dominum esse conversum. Non enim silebit fama de vita eius, quando sic vobis et videndus et miserandus offertur. Nostis in Actibus apostolorum esse scriptum, quia multi perditi, id est talium artium homines et doctrinarum nefariarum sectatores, omnes codices suos ad apostolos attulerunt; et incensi sunt libri tam multi, ut pertineret ad scriptorem aestimationem eorum facere et summam pretii conscribere (Act. 19, 19). Hoc utique propter gloriam Dei, ne tales etiam perditi desperarentur ab illo, qui novit quaerere, quod perierat (Lc. 15, 32). Perierat ergo iste; nunc quaesitus, inventus, adductus est. Portat secum codices incendendos, per quos fuerat incendendus, ut illis in ignem missis ipse in refrigerium transeat. Sciatis eum tamen, fratres, olim pulsare ad ecclesiam ante pascha; ante pascha enim coepit petere de ecclesia Christi medicinam. Sed quia talis est ars, in qua exercitatus erat, quae suspecta esset de mendacio atque fallacia, dilatus est, ne tentaret; et aliquando tamen admissus est, ne periculosius tentaretur[2]. Orate pro illo per Christum. Prorsus hodiernam precem pro illo fundite Domino Deo nostro. Scimus enim et certi sumus, quia oratio vestra delet omnes impietates eius. Dominus vobiscum.

Enarratio in Psalmum 84, C. 16 (PL 37, 1080—1081).

Iustitia ante eum praeibit et ponet in via gressus suos (Ps. 84, 14). Iustitia illa est, quae est in confessione peccatorum; veritas enim ipsa est. Iustus enim debes esse in te, ut punias te; ipsa est prima hominis iustitia, ut punias te malum, et faciat te Deus bonum. Quia ergo ipsa est prima hominis iustitia, ipsa fit via Deo, ut veniat ad te Deus; ibi illi fac viam, in confessione peccatorum. Ideo et Joannes, cum baptizaret in aqua paenitentiae et vellet ad se venire paenitentes

[1] Nam paenitentes clericos fieri lex vetabat (v. supra p. 37 ann. 3), unde conversionem illius sinceram non esse suspicio non suberat.

[2] Non statim, cum peteret, ad paenitentiam admissus erat, quia de sincera eius voluntate dubitabatur. Si vero diutius differretur, timendum erat, ne desperaret.

de suis prioribus factis, hoc dicebat: *Parate viam Domino, rectas facite semitas eius* (Mt. 3, 3). Placebas tibi in peccatis tuis, o homo, displiceat tibi, quod eras, ut possis esse, quod non eras. *Parate viam Domino:* praecedat ista iustitia, ut confitearis peccata; veniet ille et visitabit te, quia *ponet in via gressus* suos; est enim iam, ubi ponat gressus suos; est, ubi ad te veniat. Ante autem quam confitereris peccata, intercluseras ad te viam Dei; non erat, qua ad te veniret. Confitere vitam, et aperis viam; et veniet Christus *et ponet in via gressus suos*, ut te informet vestigiis suis [1].

Enarratio in Psalmum 110, C. 3 (PL 37, 1464—1465).

Confessio et magnificentia opus eius (Ps. 110, 3). Quid magnificentius quam iustificare impium? Sed opus fortasse hominis praevenit istam magnificentiam Dei, ut cum fuerit peccata confessus, iustificari mereatur. *Descendit* enim *de templo iustificatus publicanus magis quam pharisaeus*, quia *neque oculos ad caelum audebat levare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori* (Lc. 18, 14. 13). Haec est magnificentia Domini, iustificatio peccatoris. ... Sed fortasse ex operibus. *Non*, inquit, *ex operibus, ne forte quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo in operibus bonis* (Eph. 2, 9. 10). Iustitiam enim homo non operatur nisi iustificatus; *credens autem in eum, qui iustificat impium* (Rom. 4, 5), a fide incipit, ut bona opera, non praecedentia, quod meruit, sed consequentia, quod accepit, ostendant. Unde ergo illa confessio? Nondum quidem opus est iustitiae, sed delicti improbatio. Sed quoquo modo se habeat, nec in ipsa de te, homo, glorieris, ut, *qui gloriatur, in Domino glorietur* (1 Cor. 1, 31). *Quid enim habes, quod non accepisti* (1 Cor. 4, 7)? Non ergo sola magnificentia, qua iustificatur impius, sed et *confessio et magnificentia opus eius* [2].

Sermo 17, C. 3 (PL 38, 125)[3].

Nolite ergo contemnere, fratres mei, peccata, in quibus forte consuetudinem iam fecistis. Omne enim peccatum consuetudine vilescit

[1] Confessio ergo nonnisi „prima hominis iustitia" est; non ipsa veniam operatur, sed tantum Deo perfecte iustificanti viam praeparat. Cf. Retract. 1, 25 supra p. 32 et ann. 1. In Jo. tr. 49, 24 p. 44 et ann. 3; De symb. 8, 16, infra p. 77 et ann. 3; necnon et textum sequentem.

[2] Clare et aperte hic contra Pelagianum errorem confessio, quae quamvis ipsa quoque opus Dei, tamen nondum est opus iustitiae, sed delicti tantum improbatio, ab ipsa iustificatione peccatoris distinguitur. Unde et gratiam peccatorem, ut confiteatur, excitantem nondum remissionem esse peccatorum elucet. Vid. supra p. 32 ann. 1; p. 44 ann. 3 et p. 49 ann. 1.

[3] Textus maxime illustrat, quod ad ep. 95, 3 p. 34 ann. 1 de vindicando aut

et fit homini, quasi nullum sit; obduruit, iam dolorem perdidit. ... Quis non contemnat ebriositatis peccatum? Abundat tale peccatum et contemnitur. Iam cor ebriosum perdidit sensum, non habet dolorem, quia nec salutem. Quando aliquid pungitur et dolet, aut sanum est, aut est in illo spes aliqua sanitatis; quando autem tangitur, pungitur, vellicatur nec dolet, pro mortuo habendum est ac de corpore praecidendum [1]. Sed aliquando nos parcimus et non novimus nisi loqui; excommunicare, de ecclesia proicere pigri sumus. Aliquando enim timemus, ne ipso flagello peior fiat, qui caeditur. Et quamvis qui tales sunt, iam in anima mortui sint, tamen, quia medicus noster omnipotens est, non est desperandum de his, sed totis viribus supplicandum, ut aures cordis, quas clausas habere probantur, Dominus aperire dignetur [2].

Sermo 56, C. 8, 12 (PL 38, 382) [3].

Dimissis ergo peccatis omnibus per lavacrum regenerationis in magnas angustias contrusi fuerimus, si non nobis daretur quotidiana mundatio sanctae orationis. Eleemosynae et orationes mundant peccata, tantum ne talia committantur, unde necesse sit separari nos a pane quotidiano, vitantes debita, quibus debetur certa et severa damnatio. Nolite vos iustos dicere, quasi non habeatis, unde dicatis: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (Mt. 6, 12). Abstinentes ab idololatria, a constellationibus mathematicorum, a remediis incantatorum, abstinentes a deceptionibus haereticorum, a conscissionibus schismaticorum, abstinentes ab homicidiis, ab adulteriis et fornicationibus, a furtis et rapinis, a falsis testimoniis, et si qua forte alia, non dico, quae exitiales exitus habent, unde necesse sit praecidi ab altari et ligari in terra, ut ligetur in caelo, valde periculose et mortifere, nisi solvatur in terra, quod solvatur in caelo [4]: istis ergo exceptis non deest, unde homo peccet. Quod non oportet, videndo libenter peccat. Et quis teneat oculi velocitatem? Quandoquidem dicitur oculus inde accepisse nomen a velocitate. Quis teneat aurem vel oculum? Oculi, cum volueris, claudi possunt et cito clauduntur; aures cum conatu claudis, manum levas, pervenis ad illas, et si tibi aliquis manus teneat, patent, nec potes eas claudere adversus verba maledica, impura, blandientia et decipientia. Cum aliquid, quod

non vindicando peccato diximus. Non sane sola correptione secreta sanatur, quem excommunicare episcopo expedire non videtur, sed commendatur divinae misericordiae, quae cor eius aliquando paenitentiae aperiat.

[1] Ebrietas ergo, siquidem in consuetudinem venit, in peccatis habetur, quae paenitentiae maiori subsunt. Vid. supra p. 14 ann. 1.

[2] Cf. Enchir. 80, 21; serm. 351, 4, 10; ep. 95, 3; Contr. Parm. 3, 13 sq.

[3] Disseritur, quae peccata oratione quaeque paenitentia maiore sananda sint.

[4] Vide supra p. 14 ann. 1; cf. et p. 6 ann. 1.

non oportet, audieris, etsi non feceris, nonne aure peccas? Audis mali aliquid libenter. Lingua mortifera quanta peccata committit? Aliquando talia, quibus homo ab altari separetur [1]. Ad illam pertinet materies blasphemiarum; et multa etiam inania dicuntur, quae ad rem non pertinent. Nihil mali faciat manus, non currat pes ad aliquid mali, non dirigatur oculus in lasciviam, non auris libenter pateat turpitudini, non moveatur lingua ad id, quod non decet; dic, cogitationes quis tenet [2]?

Sermo 67, C. 1, 2 et C. 2, 3 (PL 38, 433—434) [3].

Cap. 1. — 2. Si autem bene cogitemus, reprehensio tua [4] laus ipsius est. Quare enim iam confiteris in accusatione peccati tui? In accusatione tui ipsius quare confiteris, nisi quia ex mortuo vivus factus es? Scriptura quippe ait: *A mortuo, quasi qui non sit, perit confessio* (Eccli. 17, 26). Si perit a mortuo confessio, qui confitetur, vivit, et si peccatum confitetur, utique a morte revixit. Si peccati confessor revixit a morte, quis eum suscitavit? Nullus mortuus est sui ipsius suscitator. Ille se potuit suscitare, qui mortua carne non mortuus est. Etenim hoc suscitavit, quod mortuum fuerat. Ille se suscitavit, qui vivebat in se, in carne autem sua suscitanda mortuus erat. Non enim Pater solus Filium suscitavit, de quo dictum est ab apostolo: *Propter quod et Deus eum exaltavit* (Phil. 2, 9), sed etiam Dominus seipsum, id est corpus suum, unde dicit: *Solvite templum hoc, et in triduo suscitabo illud* (Jo. 2, 19). Mortuus est autem peccator, maxime ille, quem moles consuetudinis premit, quasi sepultus est Lazarus. Parum enim erat, quia mortuus; etiam sepultus. Quisquis igitur malae consuetudinis, malae vitae, terrenarum scilicet cupiditatum mole premitur, ita ut in illo iam factum sit, quod in quodam Psalmo miserabiliter dicitur: *Dixit stultus in corde suo: non est Deus* (Ps. 13, 1), fit talis, de quali dictum est: *A mortuo, velut qui non sit, perit confessio.* Quis eum suscitabit, nisi qui remoto lapide clamavit dicens: *Lazare, prodi foras* (Jo. 11, 43)? Quid est autem foras prodire, nisi quod occultum erat, foras prodere? Qui confitetur, foras prodit. Foras prodire non posset, nisi viveret, vivere non posset, nisi resuscitatus esset. Ergo in confessione sui accusatio, Dei laudatio est.

[1] Alia linguae peccata, quamquam mortifera, tamen sine paenitentia maiore remitti commemorat Enchir. 79, 21; serm. 82, 3. 5.

[2] De peccatis quotidianis cf. sermo 351, 3, 4; serm. 9, 11, 18; serm. 58, 7, 8.

[3] Explicatur, quid Deus resuscitando et quid ecclesia solvendo peccatore ad eius sanationem operetur. Vide supra p. 44 ann. 3 et p. 46 ann. 2.

[4] Reprehensio: ea scilicet, quae confitendo peccata fit. Ostensum est enim modo (n. 1) confessionem in scriptura non solum confessionem peccati, vero etiam confessionem laudis intelligendam esse. Cf. supra p. 22 ann. 1.

Cap. 2. — 3. Dicit ergo aliquis: Quid prodest ecclesia, si iam confessor voce Dominica resuscitatus prodit? Quid prodest ecclesia confitenti, cui Dominus ait: *Quae solveritis in terra, soluta erunt et in caelo* (Mt. 16, 19)? Ipsum Lazarum attende: cum vinculis prodit. Iam vivebat confitendo, sed nondum liber ambulabat vinculis irretitus. Quid ergo facit ecclesia, cui dictum est: *Quae solveritis, soluta erunt*, nisi quod ait Dominus continuo ad discipulos: *Solvite illum et sinite abire* (Jo. 11, 44)?

Sermo 71, C. 12, 18—13, 23; 17, 28; 19, 32; 23, 37 (PL 38, 453—457; 461; 462; 466)[1].

Cap. 12. — 18. Quisnam sit autem iste blasphemandi modus vel potius immoderatio, quaenam sit ista blasphemia, et quod sit verbum contra Spiritum sanctum, iam, quantum existimo, ipse ordo postulat, ut dicamus vestramque exspectationem tamdiu, sed necessario detentam non ulterius differamus. Nostis, carissimi, in illa invisibili et incorruptibili trinitate, quam fides nostra et catholica ecclesia tenet et praedicat, Deum Patrem non Spiritus sancti Patrem esse, sed Filii, et Deum Filium non Spiritus sancti Filium esse, sed Patris, Deum autem Spiritum sanctum non solius Patris aut solius esse Filii Spiritum, sed Patris et Filii. Et hanc trinitatem, quamvis servata singularum proprietate et substantia personarum, tamen propter ipsam individuam et inseparabilem aeternitatis, veritatis, bonitatis essentiam vel naturam non esse tres deos, sed unum Deum. Ac per hoc pro captu nostro, quantum ista per speculum et in aenigmate, praesertim talibus, quales adhuc sumus, videre conceditur, insinuatur nobis in Patre auctoritas, in Filio nativitas, in Spiritu sancto Patris Filiique communitas, in tribus aequalitas. Quod ergo commune est Patri et Filio, per hoc nos voluerunt habere communionem et inter nos et secum et per illud donum nos colligere in unum, quod ambo habent unum, hoc est per Spiritum sanctum Deum et donum Dei. In hoc enim reconciliamur divinitati eaque delectamur. Nam quid nobis prodesset,

[1] Tractatus hic longior de peccato in Spiritum sanctum (Mt. 12, 32) agit. Ipse Augustinus eius meminit in Enchiridii cap. 83, 22 dicens: „De qua quaestione difficili in quodam propter hoc solum conscripto libello enucleatissime, quantum potui, disputavi." Et merito maximi ponderis quaestionem iudicabat. Nam cum haeretici — Montanistae, Novatiani, Donatistae — gravissimis peccatis veniam praecludentes praecipue ad dictum illud de peccato in Spiritum sanctum appellarent, quae autem priores catholici ad textum interpretandum attulerant, refellendis eis omnino non sufficerent, doctrinam ecclesiae nova et accurata huius peccati definitione tueri et munire pernecesse erat. Atque postquam quaestionis difficultatem necnon quasdam solutiones minus idoneas fusius disseruit, in capite 12 ipsam suam solutionem aggreditur.

quidquid boni nossemus, nisi etiam diligeremus? Sicut autem veritate discimus, ita caritate diligimus, ut et plenius cognoscamus et beati cognito perfruamur. *Caritas* porro *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (Rom. 5, 5). Et quia peccatis alienabamur a possessione verorum bonorum, *caritas cooperit multitudinem peccatorum* (1 Petr. 4, 8). Est ergo Pater Filio veritati origo verax et Filius de veraci Patre orta veritas et Spiritus sanctus a Patre bono et Filio bono effusa bonitas, omnium est autem non impar divinitas nec separabilis unitas.

19. Primum ergo in nos ad accipiendam vitam aeternam, quae in novissimo dabitur, de bonitate Dei munus venit ab initio fidei remissio peccatorum. Illis enim manentibus manent quodam modo inimicitiae adversus Deum et ab illo alienatio, quae a nostro malo est, quoniam non mentitur scriptura dicens: *Peccata vestra separant inter vos et Deum* (Isai. 59, 2). Non itaque nobis infert bona sua, nisi auferat mala nostra. Et in tantum illa crescunt, in quantum ista minuuntur, nec illa perficientur, nisi ista finiantur. Jam vero quod Dominus Jesus sic in Spiritu sancto peccata dimittit, quemadmodum in Spiritu sancto daemones eicit, hinc intelligi potest, quod, posteaquam resurrexit a mortuis, cum dixisset discipulis suis: *Accipite Spiritum sanctum*, continuo subiecit: *Si cui dimiseritis peccata, dimittentur illi, si cui tenueritis, tenebuntur* (Jo. 20, 22. 23). Nam et illa regeneratio, ubi fit omnium praeteritorum remissio peccatorum, in Spiritu sancto fit dicente Domino: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei* (Jo. 3, 5). Sed aliud est nasci de Spiritu, aliud pasci de Spiritu; sicut aliud est nasci de carne, quod fit, cum parit mater, aliud est pasci de carne, quod fit, cum lactat infantem ad hoc conversum, ut cum voluptate biberet, unde natus est, ut viveret; ut inde accipiat vivendi alimentum, unde accepit nascendi initium . . .[1]. Sed perfecta caritas perfectum donum est Spiritus sancti. Prius est autem illud, quod ad remissionem pertinet peccatorum, per quod beneficium eruimur de potestate tenebrarum (Col. 1, 13), et princeps huius mundi mittitur foras fide nostra (Jo. 12, 31), qui operatur in filiis infidelitatis (Eph. 2, 2) nulla vi alia nisi societate et obligatione peccati. In Spiritu enim sancto, quo in unum Dei populus congregatur, eicitur spiritus immundus, qui in se ipsum dividitur.

20. Contra hoc donum gratuitum, contra istam Dei gratiam loquitur cor impaenitens. Ipsa ergo impaenitentia est Spiritus blasphemia, quae non remittetur neque in hoc saeculo neque in futuro. Contra Spiritum enim sanctum, quo baptizantur, quorum peccata omnia

[1] Quod alimentum, quo Spiritus sanctus peccatis remissis renatorum vitam nutriat, caritatem esse Augustinus ostendere pergit.

dimittuntur, et quem accepit ecclesia, ut, cui dimiserit peccata, dimittantur ei, verbum valde malum et nimis impium sive cogitatione sive etiam lingua sua dicit, quem *patientia Dei* cum *ad paenitentiam adducat*, ipse *secundum duritiam cordis sui et cor impaenitens thesaurizat sibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera eius* (Rom. 2, 4—6). Haec ergo impaenitentia — sic enim uno aliquo nomine possumus utcumque appellare et blasphemiam et verbum contra Spiritum sanctum, quod remissionem non habet in aeternum — haec, inquam, impaenitentia, contra quam clamabant et praeco et iudex dicentes: *Paenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum* (Mt. 3, 2 et 4, 17), contra quam Dominus os evangelicae praedicationis aperuit et contra quam ipsum evangelium in toto orbe praedicandum esse praedixit . . . (Lc. 24, 46. 47): haec omnino impaenitentia non habet remissionem neque in hoc saeculo neque in futuro, quia paenitentia impetrat remissionem in hoc saeculo, quae valeat in futuro.

Cap. 13. — 21. Sed ista impaenitentia vel cor impaenitens, quamdiu quisque in hac carne vivit, non potest iudicari. De nullo enim desperandum est, quamdiu *patientia Dei ad paenitentiam adducit* (Rom. 4, 2), nec de hac vita rapit impium, qui non mortem vult impii, quantum ut revertatur et vivat (Ez. 18, 23). Paganus est hodie; unde scis, utrum sit futurus crastino christianus? Iudaeus infidelis est hodie; quid si cras credat in Christum? Haereticus est hodie; quid si cras sequatur catholicam veritatem? Schismaticus est hodie; quid si cras amplectatur catholicam pacem? Quid si isti, quos in quocumque genere erroris notas et tamquam desperatissimos damnas, antequam finiant istam vitam, agant paenitentiam et inveniant veram vitam in futuro? Proinde, fratres, etiam ad hoc vos admoneat, quod ait apostolus: *Nolite ante tempus quidquam iudicare* (1 Cor. 4, 5). Haec enim blasphemia Spiritus, cui numquam est ulla remissio, quam non omnem, sed quandam intelleximus eamque perseverantem duritiam cordis impaenitentis vel diximus vel invenimus vel etiam, quantum existimamus, ostendimus, non potest in quoquam, ut diximus, dum in hac adhuc vita est, deprehendi.

23. Ideo autem non solum verbum, quod dictum fuerit contra Filium hominis, sed omne prorsus peccatum et blasphemia remittetur hominibus [1], quia, ubi hoc peccatum non fuerit cordis impaenitentis contra Spiritum sanctum, quo in ecclesia peccata solvuntur, cuncta alia dimittuntur. Quomodo autem hoc dimittetur, quod etiam remissionem impedit aliorum? Omnia ergo dimittuntur eis, in quibus

[1] „*Verbum dicere* in Spiritum sanctum" more, quo scripturae loquantur, sic intelligendum esse S. doctor in nr. 22 ostendit.

hoc non est, quod numquam dimittetur; in quibus est autem, quoniam hoc numquam dimittitur, nec alia dimittuntur, quia omnium remissio vinculo istius impeditur. Non ergo proptera, quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur, quia in trinitate maior est Filio Spiritus sanctus, quod nullus umquam vel haereticus dixit; sed quoniam, quisquis restiterit veritati et blasphemaverit veritatem, quod est Christus, etiam post tantam sui praedicationem apud homines, ut Verbum caro fieret et habitaret in nobis, quod est Filius hominis, idem ipse Christus, si non dixerit verbum illud cordis impaenitentis contra Spiritum sanctum, de quo dictum est: *Qui non renatus fuerit ex aqua et Spiritu* (Jo. 3, 5), et de quo item dictum est: *Accipite Spiritum sanctum; si cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei* (Jo. 20, 22), id est, si paenituerit eum, accipiet per hoc donum remissionem omnium peccatorum, simul et huius, quod verbum dixit contra Filium hominis; quia peccato ignorantiae sive contumaciae vel cuiuscumque blasphemiae non addidit peccatum impaenitentiae [1] contra donum Dei et gratiam regenerationis vel reconciliationis, quae fit in ecclesia in Spiritu sancto.

Cap. 17. — 28 [2]. Sic et peccata, quia praeter ecclesiam non dimittuntur, in eo Spiritu dimitti oportebat, quo in unum ecclesia congregatur. Denique si quemquam extra ecclesiam suorum paeniteat peccatorum et huius tanti peccati, quo alienus est ab ecclesia Dei, cor impaenitens habeat, quid ei prodest illa paenitentia, cum isto solo verbum dicat contra Spiritum sanctum, quo extraneus est ab ecclesia, quae accepit hoc donum, ut in ea in Spiritu sancto fiat remissio peccatorum? . . .

Cap. 19. — 32. Sed nec ille dicendus est esse in ecclesia et ad istam societatem Spiritus pertinere, qui ovibus Christi corporali tantum commixtione ficto corde miscetur. *Sanctus enim Spiritus disciplinae fugiet fictum* (Sap. 1, 5). Quapropter quicumque in schismaticis vel haereticis congregationibus vel potius segregationibus baptizantur, quamvis non sint renati Spiritu, tamquam Ismaeli similes, qui secundum carnem natus est Abrahae, non sicut Isaac, qui secundum spiritum, quia per repromissionem (Gal. 4, 28. 29), tamen, cum ad catholicam veniunt et societati Spiritus aggregantur, quem foris procul dubio non habebant, non eis repetitur lavacrum carnis. Non enim

[1] Attendas peccatum contumaciae vel malitiae non idem esse quod peccatum impaenitentiae.

[2] Quid peccatum in Spiritum sanctum sit, Augustinus postquam exposuit, vel hoc id committi addit, quod ecclesiae resistatur, extra quam peccata non remittantur.

defuit etiam foris positis ista forma pietatis; sed accedit eis, quae nisi intus non potest dari, unitas Spiritus in vinculo pacis [1].

Cap. 23. — 37. . . . Ad quam congregationem etiamsi per malum clericum, sed tamen catholicum ministrum, reprobum et fictum aliquis accesserit corde non ficto, in ipso sancto Spiritu remissionem accipit peccatorum [2]. Qui Spiritus in sancta ecclesia etiam isto tempore, quo velut area cum palea trituratur (Mt. 3, 12), sic operatur, ut nullius veram confessionem aspernetur, nullius simulatione fallatur atque ita reprobos fugiat, ut etiam per eorum ministerium probos colligat. Unum ergo suffugium est, ne sit irremissibilis blasphemia, ut cor impaenitens caveatur, nec aliter paenitentia prodesse credatur, nisi ut teneatur ecclesia, ubi remissio peccatorum datur, et societas Spiritus in pacis vinculo custoditur.

Sermo 82, C. 3—9 (PL 38, 507—512) [3].

Cap. 3. — 4. Ideo debemus amando corripere, non nocendi aviditate, sed studio corrigendi. Tales si fuerimus, optime facimus, quod hodie admoniti sumus: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te et ipsum solum* (Mt. 18, 15). Quare illum corripis? Quia te doles, quod peccaverit in te? Absit. Si amore tui id facis, nihil facis. Si amore illius facis, optime facis. Denique in ipsis verbis attende, cuius amore id facere debeas, utrum tui an illius. *Si te audierit*, inquit, *lucratus es fratrem tuum* (Ibid.). Ergo propter illum fac, ut lucreris illum. Si faciendo lucraris, nisi fecisses, perierat. Quid est ergo, quod plerique homines ista peccata contemnunt et dicunt: Quid magnum feci? In hominem peccavi [4]. Noli contemnere. In hominem peccasti:

[1] De susceptione haereticorum cf. bapt. c. Donatist. 3, 18, 21; Contr. Cresc. 2, 13, 16; 2, 16, 19 sq.; 3, 19, 22.

[2] Remissio ergo peccatorum etsi fit in Spiritu sancto, tamen non accipitur, nisi minister conversum in congregationem ecclesiae communionemque Spiritus sancti recipit. Unde et non minus ex hoc, quod vel malus et reprobus minister Spiritum sanctum dat, ipsius reconciliationis vis sacramentalis elucet. Cf. supra p. 45 ann. 1; De civ. Dei 20, 9, 2.

[3] Ordiens de verbis Mt. 18, 15—18 sermo agit de obligatione et modo corripiendi. Spectat autem non solum ad eam correptionem, quae ad officium praepositorum ecclesiae pertinet, sed generatim ad eam, quae a quocumque adhibenda est, cum aut ipse a corripiendo offensus aut certe conscius sceleris eius fuerit. Ac praemissa admonitione, ne ob iniuriam alterius iratus odio locum dans ipse sibi magis etiam noceat, abhinc a cap. 3 disseritur, quomodo, qui peccaverit, corripiendo emendetur.

[4] Distinctio inter „peccata in Deum" et „peccata in hominem" originem ducens a verbo 1 Reg. 2, 25 primis praecipue ecclesiae saeculis usitata fuerat, quamquam, quia nullum est peccatum in hominem, quo Deus non offendatur, propter membra non disiuncta parum idonea erat. Solitum autem fuerat peccata in Deum paria

vis nosse, quia in hominem peccando peristi? Si te ille, in quem peccasti, corripuerit inter te et ipsum solum, et audieris illum, lucratus est te. Quid est, lucratus est te, nisi quia perieras, si non lucraretur te? Nam si non perieras, quomodo te lucratus est? Nemo ergo contemnat, quando peccat in fratrem. Ait enim quodam loco apostolus: *Sic autem peccantes in fratres et percutientes conscientiam eorum infirmam in Christum peccatis* (1 Cor. 8, 12), ideo quia membra Christi omnes facti sumus. Quomodo non peccas in Christum, qui peccas in membrum Christi?

5. Nemo ergo dicat, quia non peccavi in Deum, sed peccavi in fratrem; in hominem peccavi, leve peccatum est vel nullum peccatum est. Forte inde dicis: leve est, quia cito curatur. Peccasti in fratrem: fac satis et sanatus es. Cito fecisti mortiferam rem, sed remedium cito invenisti. Quis nostrum speret regnum caelorum, fratres mei, quando dicit evangelium: *Qui dixerit fratri suo „fatue", reus erit gehennae ignis* [1]? Magnus terror; sed vide ibi remedium: *Si obtuleris munus tuum ad altare et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ad altare.* Non irascitur Deus, quia differs imponere munus tuum; te quaerit Deus magis quam munus tuum. Nam si malum animum gerens adversus fratrem tuum adveneris cum munere ad Deum tuum, respondet tibi: Tu peristi, mihi quid attulisti? Offers munus tuum, et tu non es munus Dei? Plus quaerit Christus, quem redemit sanguine suo, quam quod tu invenisti in horreo tuo. Ergo *relinque ibi munus tuum ante altare et vade prius reconciliari fratri tuo et sic veniens offeres munus tuum* (Mt. 5, 22—24). Ecce ille reatus gehennae quam cito solutus est. Nondum reconciliatus eras gehennae reus, reconciliatus securus offers munus tuum ad altare [2].

Cap. 4. — 6. Homines autem faciles sunt ad irrogandas iniurias et difficiles ad concordiam requirendam. Pete, inquit, veniam ab

---

„peccatis ad mortem" ponere, id est gravissimis peccatis, quae a solo Deo remitti possent, cum peccata in hominem ab ipso homine offenso donarentur. Ita Tertullianus, De pud. 21: „Quis enim dimittit delicta ni solus Deus? Et utique mortalia, quae in ipsum fuerint admissa et in templum eius? Nam tibi, quae in te reatum habeant, etiam septuagies septies iuberis indulgere in persona Petri. . . . Praeiudicatur enim non dimittenda in Deum delicta, cum in homine admissa donantur." Cf. Origenes, De orat. 28, 8—10; Cyprianus, De laps. 17. Quae doctrina hic apud Augustinum aperte resonat. De cetero S. doctor distinctionem illam, licet aliquoties commemoret (Sermo 278, 6 sq.; Quaest. in Heptateuch. 5, 55; Contr. Cresc. 4, 10, 12), haud ita magni facit. — KC p. 48 sqq.

[1] Cf. Enchir. 79, 21.

[2] Quae igitur peccantur contra caritatem proximi, quamvis sint mortifera, eo ipso solvuntur, quod, qui iniuriam irrogavit, offensum veniam petendo sibi reconciliat. In quo Augustinus cum prioribus (vid. supra p. 56 ann. 4) consentit.

homine, quem offendisti, ab homine, quem laesisti. Respondet: Non me humiliabo. Vel Deum tuum audi, si fratrem tuum contemnis: *Qui se humiliat, exaltabitur* (Lc. 14, 11). Non vis te humiliare, qui cecidisti? Multum interest inter se humiliantem et iacentem. Iam iaces, et humiliare te non vis? Bene diceres: Nolo descendere, si noluisses ruere.

7. Hoc ergo debet facere, qui fecit iniuriam. Qui autem passus est, quid debet? Quod audivimus hodie: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum.* Si neglexeris, peior es. Ille iniuriam fecit et iniuriam faciendo gravi se ipsum vulnere percussit: tu vulnus fratris tui contemnis? Tu eum vides perire vel perisse et negligis? Peior es tacendo quam ille conviciando. Quando ergo in nos aliquis peccat, habeamus magnam curam, non pro nobis; nam gloriosum est iniurias oblivisci. Sed obliviscere iniuriam tuam, non vulnus fratris tui. Ergo *corripe eum inter te et ipsum solum*, intendens correctioni, parcens pudori. Forte enim prae verecundia incipit defendere peccatum suum, et quem vis facere correctiorem, facis peiorem. *Corripe* ergo *eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum;* quia perierat, nisi faceres. *Si autem non te audierit*, id est peccatum suum quasi iustitiam defenderit, *adhibe tecum duos vel tres; quia in ore duorum vel trium testium stat omne verbum. Si nec ipsos audierit, refer ad ecclesiam; si nec ecclesiam audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (Mt. 18, 16. 17). Noli illum deputare iam in numero fratrum tuorum. Nec ideo tamen salus eius negligenda est. Nam et ipsos ethnicos, id est gentiles et paganos in numero quidem fratrum non deputamus, sed tamen eorum salutem semper inquirimus. Hoc ergo audivimus Dominum ita monentem et tanta cura praecipientem, ut etiam hoc adderet continuo: *Amen dico vobis, quaecumque ligaveritis super terram, ligata erunt et in caelo; et quaecumque solveritis in terra, soluta erunt et in caelo* (Mt. 18, 18). Coepisti habere fratrem tuum tamquam publicanum, ligas illum in terra; sed ut iuste alliges, vide. Nam iniusta vincula dirrumpit iustitia. Cum autem correxeris et concordaveris cum fratre tuo, solvisti illum in terra. Cum solveris in terra, solutus erit et in caelo. Multum praestas, non tibi, sed illi; quia multum nocuit, non tibi, sed sibi [1].

Cap. 5. — 8. Haec cum ita sint, quid est, quod ait Salomon, quod hodie ex alia lectione primitus audivimus: *Annuens oculis cum dolo congerit hominibus maestitiam; qui autem arguit palam, pacem facit* (Prov. 10, 10, sec. LXX)? Si ergo, *qui arguit palam, pacem facit*, quo-

[1] Qua ex admonitione cognoscitur, quomodo peccans in fratrem correptione solvatur: non quo corripiens ipsum peccatum dimittat, sed quod peccantem ad agnoscendam iniuriam satisfactionemque adducit, quae animi conversio ipsius remissionis causa est. Cf. serm. 211, 6, 5; De corr. et gr. 5, 7; et p. 75 ann. 2.

modo: *Corripe illum inter te et ipsum solum?* Metuendum est, ne sibi contraria sint praecepta divina. Sed intelligamus esse ibi summam concordiam, non quemadmodum quidam vani [1] sapiamus, qui errantes opinantur contraria sibi esse duo Testamenta in libris Veteribus et Novis: ut ideo putemus hoc esse contrarium, quoniam illud est in Salomonis libro, hoc in evangelio. Si enim aliquis imperitus et calumniator divinarum scripturarum diceret: „Ecce, ubi sibi contradicunt duo Testamenta. Dominus dicit: *Corripe illum inter te et ipsum solum;* Salomon dicit: *Qui arguit palam, pacem facit.* Ergo nescit Dominus, quid praecepit? Salomon vult contundi frontem peccantis; Christus parcit pudori erubescentis. Ibi enim scriptum est: *Qui arguit palam, pacem facit,* hic autem: *Corripe illum inter te et ipsum solum,* non palam, sed in secreto et occulte." Vis nosse, quisquis talia cogitas, non sibi repugnare duo Testamenta, quia illud in libro Salomonis, hoc in evangelio reperitur? Apostolum audi. Certe apostolus minister est Novi Testamenti. Audi ergo apostolum Paulum Timotheo praecipientem et dicentem: *Peccantes coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant* (1 Tim. 5, 20). Iam non Salomonis liber cum evangelio, sed Pauli apostoli epistula videtur confligere. Salomonem paululum sine iniuria seponamus; Christum Dominum et Paulum servum eius audiamus. Quid dicis, Domine? *Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te et ipsum solum.* Quid dicis, apostole? *Peccantes coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant.* Quid facimus? Controversiam istam velut iudices audimus? Absit. Imo sub iudice constituti pulsemus, uti nobis aperiri impetremus; fugiamus sub alas Domini Dei nostri. Non enim apostolo suo contrarium locutus est, quia et in illo ipse locutus est, sicut dixit: *An vultis experimentum eius accipere, qui in me loquitur Christus* (2 Cor. 13, 3)? Christus in evangelio, Christus in apostolo; Christus ergo utrumque dixit: unum ore suo, alterum ore praeconis sui. Quia, quando praeco de tribunali aliquid dicit, non scribitur in gestis: Praeco dixit, sed ille dixisse scribitur, qui praeconi, quod diceret, imperavit.

Cap. 6. — 9. Duo ergo ista praecepta, fratres, sic audiamus, ut intelligamus et inter utraque praecepta pacati constituamur. Cum corde nostro nos concordemus, et scriptura sancta in nulla parte discordat. Verum est omnino, utrumque verum est, sed discernere debemus aliquando illud, aliquando illud esse faciendum: aliquando corripiendum fratrem inter te et ipsum solum, aliquando corripiendum fratrem coram omnibus, ut et ceteri timorem habeant. Si aliquando illud, aliquando illud fecerimus, concordiam scripturarum tenebimus et in faciendo atque obtemperando non errabimus. Sed dicit mihi

[1] Denotat Manichaeos.

aliquis: „Quando facio illud, quando illud, ne tunc corripiam inter me et ipsum solum, quando debeo coram omnibus corripere, aut tunc corripio coram omnibus, quando debeo in secreto corripere?“

Cap. 7. — 10. Cito videbit caritas vestra, quid quando facere debeamus; sed utinam facere pigri non simus. Intendite et videte: *Si peccaverit*, inquit, *in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum.* Quare? Quia peccavit in te. Quid est: in te peccavit? Tu scis, quia peccavit. Quia enim secretum fuit, quando in te peccavit, secretum quaere, cum corrigis, quod peccavit. Nam si solus nosti, quia peccavit in te, et eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, sed proditor. Attende, quemadmodum vir iustus Joseph tanto flagitio, quod de uxore fuerat suspicatus, tanta benignitate pepercit, antequam sciret, unde illa conceperat, quia gravidam senserat et se ad illam non accessisse noverat. Restabat itaque certa adulterii suspicio; et tamen, quia ipse solus senserat, ipse solus sciebat, quid de illo ait evangelium? *Joseph autem cum esset vir iustus et nollet eam divulgare.* Mariti dolor non vindictam quaesivit; voluit prodesse peccanti, non punire peccantem. *Cum*, inquit, *nollet eam divulgare, voluit eam occulte dimittere.* Haec eo cogitante ecce angelus Domini apparuit ei in somnis et indicavit, quid esset, quia non violavit viri torum, quia de Spiritu sancto conceperat Dominum amborum (Mt. 1, 19. 20). Peccavit ergo in te frater tuus; si tu solus nosti, tunc vere in te solum peccavit. Nam si multis audientibus tibi fecit iniuriam, et in illos peccavit, quos testes suae iniquitatis effecit. Dico enim, fratres carissimi, quod et vos ipsi in vobis ipsis potestis agnoscere. Quando me audiente fratri meo quisque iniuriam facit, absit, ut a me iniuriam illam alienam putem. Prorsus et mihi fecit; imo et mihi plus fecit, cui putavit placere, quod fecit. Ergo ipsa corripienda sunt coram omnibus, quae peccantur coram omnibus; ipsa corripienda sunt secretius, quae peccantur secretius. Distribuite tempora, et concordat scriptura.

Cap. 8. — 11. Sic agamus et sic agendum est non solum, quando in nos peccatur, sed quando peccatur ab aliquo, ut ab altero nesciatur. In secreto debemus corripere, in secreto arguere, ne volentes publice arguere prodamus hominem. Nos volumus corripere et corrigere; quid, si inimicus quaerit audire, quod puniat? Novit enim nescio quem homicidam episcopus, et alius illum nemo novit. Ego volo publice corripere, at tu quaeris inscribere. Prorsus nec prodo nec negligo, corripio in secreto; pono ante oculos Dei iudicium, terreo cruentam conscientiam, persuadeo paenitentiam [1]. Hac caritate prae-

[1] Persuadeo paenitentiam: id est paenitentiam maiorem, non, ut quidam putant, paenitentiam quandam mere privatam. Et ipsa enim, quae ab episcopo fit, correptio nonnisi in hoc tendit, ut peccatorem ad paenitentiam permoveat (vid. supra p. 58 ann. 1), eamque videlicet paenitentiam, quae peccati commissi generi

diti esse debemus. Unde aliquando homines reprehendunt nos, quod quasi non corripiamus; aut putant nos scire, quod nescimus, aut putant nos tacere, quod scimus. Sed forte, quod scis, et ego scio; sed non coram te corripio, quia curare volo, non accusare. Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant; aliquando nobis produntur ab uxoribus suis plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quaerentibus. Nos non prodimus palam, sed in secreto arguimus. Ubi contigit malum, ibi moriatur malum[1]. Non tamen vulnus illud negligimus: ante omnia ostendentes homini in tali peccato constituto sauciamque gerenti conscientiam illud vulnus esse mortiferum, quod aliquando, qui committunt, nescio qua perversitate contemnunt; et nescio unde sibi testimonia nulla et vana conquirunt dicentes: Peccata carnis Deus non curat. Ubi est, quod hodie audivimus: *Fornicatores et adulteros iudicat Deus?* Ecce attende, quisquis tali morbo laboras. Quod dicit Deus, audi, non quod tibi dicit favens peccatis tuis animus tuus aut eadem tecum iniquitatis catena ligatus amicus tuus vel potius inimicus tuus et suus. Audi ergo, quod dicit apostolus: *Honorabiles*, inquit, *nuptiae in omnibus et torus immaculatus. Fornicatores autem et adulteros iudicat Deus* (Hebr. 13, 4).

Cap. 9. — 12. Age ergo, frater, esto correctus. Times, ne te inscribat inimicus; et non times, ne te iudicet Deus? Ubi est fides? Time, cum est, quando timeas. Longe est quidem dies iudicii; sed uniuscuiusque hominis dies ultimus longe esse non potest, quia brevis

---

competit. Homicidium autem, et quod idem continuo hic commemoratur, adulterium ad illud genus peccatorum pertinere, quae paenitentiam maiorem expostulent, nemo negare potest. Neque vero prodebantur sic paenitentes, quia, si in secreto tantum corripiebantur, nec cur paeniterent, evulgabatur, nec in tanto paenitentium numero (cf. serm. 232, 7, 8) nimis timendum erat, ne singuli in suspicionem certi cuiusdam sceleris venirent. Certe Augustinus in serm. 392, 3 et ipsos adulteros, quos in serm. 82, 8, 11 exempla occulte peccantium profert, ad paenitentiam aperte maiorem provocat. — Cf. serm. 351, 4, 9 supra p. 26 et ann. 1; Quaest. 17 in Matth. q. 11, 3 supra p. 42 et ann. 5; De fid. et op. 26, 48.

[1] Malum in occulto ortum et in occulto moriatur, id est tali modo deleatur, ut non publicetur. Quod tamen non sic est intelligendum, ut episcopum ipsa correptione adulterum a culpa solvere putemus (Adam II p. 21 sqq.; Galtier, l. c. p. 375 sqq.). Nam praeterquam quod iste modus remittendi omnino repugnaret iis, quae Augustinus de expiandis talibus flagitiis saepissime atque apertissime docet, hic quoque continuo adiungitur, quinam sit finis corripiendi: ostendere scilicet homini in tali peccato constituto illud vulnus esse mortiferum, quod ad nihil aliud spectare apparet, nisi ut peccator miseriam suam agnoscens ad medicamentum illud confugiat, quod sanandis delictis mortiferis provisum est. Hoc ipso autem, quod correptione peccator ad capessendam paenitentiam permovetur, malum iam moritur, quia confitens peccatum suum, quamvis nondum iustificatus (cf. supra p. 49 ann. 2), „utique a morte revixit" (serm. 67, 1). Cf. serm. 98, 6 infra p. 64 et ann. 1. KC p. 22 sqq.

est vita. Et quia ipsa brevitas semper incerta, quando sit dies tuus ultimus, nescis. Corrige te hodie, propter cras. Prosit tibi et modo in secreto correptio. Palam enim loquor et in secreto arguo. Aures omnium pulso, sed conscientias quorundam convenio. Si dicerem: „Tu, adulter, corrige te", primo forte dicerem, quod nescirem; forte, quod temere audieram, suspicarer. Non dico: „Tu, adulter, corrige te"; sed „quisquis in hoc populo adulter es, corrige te". Publica est correptio, sed secreta correctio [1]. Scio, quia ille, qui timuerit, corrigit se.

Sermo 98, C. 4—7 (PL 38, 593—595)[2].

Cap. 4. Videamus ergo, quid nos discere voluit in tribus mortuis, quos suscitavit. Resuscitavit filiam mortuam archisynagogi, ad quam aegrotantem petebatur, ut eam de aegritudine liberaret. Et cum pergit, mortua nuntiatur; et quasi iam frustra fatigaretur, renuntiatum est patri eius: *Puella mortua est, quid adhuc fatigas magistrum?* Ille autem perrexit et ait patri puellae: *Noli timere, tantummodo crede.* Venit ad domum et invenit iam obsequia funeri debita praeparata et dicit illis: *Nolite flere, non enim est mortua puella, sed dormit.* Verum dixit: dormiebat, sed illi, a quo poterat excitari. Hanc excitans reddidit vivam parentibus (Mc. 5, 22—43). Excitavit et hunc iuvenem viduae filium, de quo nunc admoniti sumus, ut hinc ista, quae ipse largiri dignatur, cum vestra caritate loqueremur. Modo audistis, quomodo excitatus est. Appropinquabat Dominus civitati; et ecce efferebatur mortuus iam extra portam. Misericordia commotus, quod flebat mater vidua et destituta unico filio, fecit, quod audistis, dicens: *Adolescens, tibi dico: surge.* Surrexit ille mortuus, coepit loqui; et reddidit illum matri suae (Lc. 7, 11—15). Excitavit et Lazarum de sepulcro. Et ibi cum aegrotantem scirent discipuli, cum quibus loquebatur — diligebat autem illum —, *Lazarus*, inquit, *amicus noster dormit.* Illi putantes aegri somnum salubrem: *Si dormit*, inquiunt, *Domine, salvus est.* Et ille: *Dico vobis*, apertius iam loquens, *Lazarus amicus noster mortuus est* (Jo. 11, 11—14), utrumque verum dicens: mortuus est vobis, dormit mihi.

Cap. 5. Ista tria genera mortuorum sunt tria genera peccatorum, quos hodieque suscitat Christus. Illa enim mortua filia archisynagogi intus erat in domo, nondum erat de secretis parietibus elata in publicum. Ibi intus suscitata est, viva parentibus reddita. Iste autem iam

[1] Cf. Quaest. 17 in Matth. q. 11, 3 supra p. 42 et ann. 5.

[2] Agit sermo de tribus mortuis, quos Dominus suscitavit. Vid. supra p. 44 ann. 1.

quidem non in domo, sed tamen nondum in sepulcro; parietibus elatus erat, terrae mandatus non erat. Qui suscitavit mortuam nondum elatam, suscitavit mortuum iam elatum, nondum sepultum. Tertium restabat, ut et sepultum suscitaret; et hoc fecit in Lazaro. Sunt ergo, qui peccatum intus in corde habent, in facto nondum habent. Nescio quis commotus est aliqua concupiscentia. Dicit enim ipse Dominus: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo* (Mt. 5, 28). Nondum accessit corpore, consensit in corde: mortuum intus habet, nondum extulit. Et ut fit, ut novimus, ut quotidie homines in se experiuntur, aliquando audito verbo Dei, tamquam Domino dicente „Surge", condemnatur consensus ad iniquitatem, respiratur in salutem atque iustitiam. Surgit mortuus in domo, reviviscit cor in cogitationis secreto. Facta est ista resurrectio animae mortuae intus intra latebras conscientiae, tamquam intra domesticos parietes. Alii post consensum eunt in factum, tamquam efferentes mortuum, ut, quod latebat in secreto, appareat in publico. Numquid iam isti, qui in factum processerunt, desperati sunt? Nonne et illi iuveni dictum est: *Tibi dico, surge?* Nonne et ille redditus est matri suae? Sic ergo et qui iam fecerit, si forte commonitus et commotus verbo veritatis ad Christi vocem resurgit, vivus redditur. Potuit progredi [1], in aeternum perire non potuit. Qui autem faciendo, quod malum est, etiam mala consuetudine se implicant, ut ipsa consuetudo mali non eos sinat videre, quia malum est, fiunt defensores malorum factorum suorum; irascuntur, cum reprehenduntur, in tantum ut Sodomitae quondam dicerent viro iusto reprehendenti nequissimam voluntatem: *Habitare venisti, non leges dare* (Gen. 19, 9). Tanta ibi nefandae turpitudinis consuetudo erat, ut iam nequitia esset iustitia, et prohibitor potius reprehenderetur quam factor. Tales consuetudine maligna pressi tamquam sepulti sunt. Sed quid dicam, fratres? Ita sepulti, ut de Lazaro dictum est: *Iam putet.* Moles illa imposita sepulcro ipsa est vis dura consuetudinis, qua premitur anima nec surgere nec respirare permittitur.

Cap. 6. Revera ad istam consuetudinem, de qua loquor, quarto quodam progressu pervenit anima. Prima est enim quasi titillatio delectationis in corde, secunda consensio, tertium factum, quarta consuetudo. Sunt enim, qui res illicitas obvias cogitationibus suis prorsus ita abiciunt, ut nec delectentur. Sunt, qui delectantur et non consentiunt: nondum perfecta mors est, sed quodam modo inchoata. Delectationi accedit consensio: iam est illa damnatio. Post consensionem in factum proceditur; factum in consuetudinem vertitur: et fit quaedam desperatio, ut dicatur: *Quatriduanus est, iam putet.* Venit

[1] Potuit progredi: scil. in factum.

ergo Dominus, cui utique facilia erant omnia, et difficultatem quandam ostendit tibi. Infremuit spiritu, ostendit multo clamore obiurgationis opus esse ad eos, qui consuetudine duruerunt. Tamen ad vocem clamantis Domini rupta sunt vincula necessitatis. Tremuit inferni dominatio, redditus est Lazarus vivus. Liberat enim de mala consuetudine Dominus quatriduanos mortuos; nam et ipse quatriduanus Christo volenti resuscitare dormiebat. Sed quid ait? Videte genus resuscitationis. Processit de monumento vivus et ambulare non poterat. Et Dominus ad discipulos: *Solvite eum et sinite abire.* Ille suscitavit mortuum, illi solverunt ligatum. Aliquid pertinere videte ad propriam maiestatem Dei suscitantis. Increpatur aliquis in mala consuetudine positus verbo veritatis. Quam multi increpantur et non audiunt! Quis ergo agit intus cum illo, qui audit? Quis vitam inspirat intrinsecus? Quis est, qui secretam pellit mortem, secretam dat vitam? Nonne post obiurgationes, post increpationes dimittuntur homines cogitationibus suis et incipiunt secum volvere, quam malam vitam gerant, quam pessima consuetudine premantur? Deinde displicentes sibi mutare vitam instituunt. Resurrexerunt isti; revixerunt, quibus displicet, quod fuerunt, sed reviviscentes ambulare non possunt. Haec sunt vincula ipsius reatus. Opus est ergo, ut, qui revixit, solvatur et ire permittatur. Hoc officium discipulis dedit, quibus ait: *Quae solveritis in terra, soluta sunt et in caelo* (Mt. 18, 18) [1].

[1] Reatus est status vel conditio rei, id est eius, qui peccavit, donec veniam acceperit. De nupt. et conc. 26, 29: „Si quisquam fecerit adulterium, etiamsi numquam deinceps faciat, reus est adulterii, donec reatus ipsa indulgentia remittatur. Habet ergo peccatum, quamvis illud, quod admisit, iam non sit, quia cum tempore, quo factum est, praeterit . . . (Peccata) praeterierunt actu, manent reatu". Nec vero reatus solius poenae peccatorem obnoxium tenet, sed etiam ipsius culpae, „nocentem" eum reddens atque „immundum". Contr. Jul. op. imp. 6, 19 (infr. p. 91): „Reatus magnum malum innocentiae contrarium." De pecc. mer. et rem. 24, 34: „Si a salute et vita aeterna hominem nisi peccata non separant, per haec sacramenta nonnisi peccati reatus in parvulis solvitur, de quo reatu scriptum est neminem esse mundum, nec si unius diei fuerit vita eius" (cf. ibid. 39, 70). Reatus denique est ipsum peccatum post factum remanens. Quodsi autem vincula reatus per discipulos solvuntur, ipsam remissionem peccati non iam tum dari apparet, cum Deus peccatorem suscitat, sed cum ecclesia eum solvit. Quod tamen non obstat, quin Deus resuscitando mortuum voluntatem incipiendi novam vitam ei inspirans ad opus iustificandi id conferat, quod longe maximum et difficillimum est, unde merito dici potest suscitato et confitenti: „Iam exulta, iam laetare; quod reliquum est, facile sanabitur (En. in Ps. 66, 7)". Nam ut semel a sopore impaenitentiae magna voce Domini excitatus fuerit, facile et implebit, quod ecclesia ad luendum peccatum postulat (cf. serm. 295, 3, 2, infra p. 68 et ann. 3; serm. 352, 3, 8, p. 69. — Quid operetur Deus suscitans et quid ecclesia solvens, clarius etiam illustratur in serm. Mai 125 (Misc. Ag. I p. 355): „Ille, cuius vox ad cor pervenit, clamet: Lazare, veni foras: id est vive, exi de sepulcro, muta vitam, fini mortem. Et processit ille mortuus, ligatus institis: quia, etsi desiit peccare, adhuc de praeteritis reus est; et opus est, ut precetur

Cap. 7. Haec ergo, carissimi, sic audiamus, ut, qui vivunt, vivant, qui mortui sunt, reviviscant. Sive adhuc peccatum in corde conceptum est et non processit in factum, paeniteat, corrigatur cogitatio, surgat mortuus intra domum conscientiae. Sive iam, quod cogitavit, admisit, nec sic desperetur. Non surrexit mortuus intus, surgat elatus. Paeniteat facti, de proximo reviviscat[1]; non eat in profundum sepulturae, non accipiat desuper consuetudinis molem. Sed forte iam illi loquor, qui iam duro sui moris lapide premitur, qui iam urgetur consuetudinis pondere, qui iam quatriduanus putet. Nec ipse desperet: profundus mortuus est, sed altus est Christus. Novit clamando terrena opera rumpere, novit intrinsecus per se ipsum vivificare, solvendum discipulis tradere. Agant etiam tales paenitentiam. Neque enim Lazaro resuscitato post quatriduum ullus putor in vivente remanserat. Ergo qui vivunt, vivant; quicumque autem mortui sunt, in quacumque harum trium morte se invenerint, agant, ut celeriter iam resurgant.

Sermo 99, C. 9 (PL 38, 600)[2].

... Respondent et dicunt: Si non dimittunt homines peccata, falsum est ergo, quod ait Christus: *Quae solveritis in terra, soluta erunt et in caelo* (Mt. 18, 18). Nescis, quare hoc dictum sit, quomodo dictum sit. Daturus erat Dominus hominibus Spiritum sanctum, et ab ipso Spiritu sancto fidelibus suis dimitti peccata, non meritis hominum volebat intelligi dimitti peccata. Nam quid es, homo, nisi aeger sanandus? Vis mihi esse medicus? Mecum quaere medicum. Nam hoc ut evidentius ostenderet Dominus, ab Spiritu sancto, quem donavit

---

et agat paenitentiam propter facta: non propter ea, quae facit, quia iam non facit; sed propter ea, quae fecit, adhuc ligatus est. Ergo ministris ecclesiae suae, per quos manus imponitur paenitentibus, Christus dicit: Solvite eum et sinite illum." — Cf. supra p. 44 ann. 3 et p. 45 ann. 1. Ad totum vid. Adam I p. 31 sqq.; ZkTh, p. 214 sqq. et 405 sqq.

[1] De proximo reviviscat: id est de proximo convertatur. Non autem sic est intelligendum, ut eos, qui mere in factum et non in consuetudinem peccandi processerint, proxime, id est non antecedente paenitentia maiore neque invocatis ecclesiae clavibus ipsam quoque veniam peccati consequi Augustinus docuerit. Continuo enim etiam positos in mala consuetudine id idem monet, „ut celeriter iam resurgant". Quod de necessitate solvendi peccatoris per claves ecclesiae verba evangelii sequens docet, nequaquam ad genus peccatorum malae consuetudinis coartandum est. Nam etiamsi Lazarus huiusmodi maxime peccatoris imaginem gerit, tamen pluries et typum cuiuscumque peccatoris resuscitandi repraesentat (Vid. supra p. 44 ann. 1). Evidentissime in sermone 352, 3, 8 allegoria Lazari per discipulos solvendi in eos, qui in perpetrationem tantum et non iam in consuetudinem peccati progressi sunt, extenditur. — Cf. Adam II p. 77 sqq.; ZkTh p. 78 sqq.

[2] Peccata dimitti non ab hominibus, sed a Spiritu sancto per ecclesiam contra Donatistas ostenditur.

fidelibus suis, dimitti peccata, non meritis hominum, quodam loco sic ait resurgens a mortuis: *Accipite Spiritum sanctum;* et cum dixisset: *Accipite Spiritum sanctum,* continuo subiecit: *Si cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei* (Jo. 20, 22—23), hoc est: Spiritus dimittit, non vos. Spiritus autem Deus est. Deus ergo dimittit, non vos. Sed ad Spiritum quid estis vos? *Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis* (1 Cor. 3, 16)? Et iterum: *Nescitis, quia corpora vestra templum in vobis est Spiritus sancti, quem habetis a Deo* (1 Cor. 6, 19)? Deus ergo habitat in templo sancto suo, hoc est in sanctis suis fidelibus, in ecclesia sua; per eos dimittit peccata, quia viva templa sunt [1].

Sermo 232, C. 7, 8 (PL 38, 1111)[2].

Cap. 7. — 8. Hesterno die monui et admoneo caritatem vestram, quia resurrectio Christi est in nobis, si bene vivamus, si vita vetus nostra mala moriatur et quotidie nova proficiat. Abundant hic paenitentes; quando illis imponitur manus, fit ordo longissimus [3]. Orate, paenitentes! et eunt orare paenitentes. Discutio paenitentes et invenio male viventes [4]. Quomodo paenitet, quod fit? Si paenitet, non fiat. Si autem fit, nomen errat, crimen manet. Aliqui ipsi sibi paenitentiae locum petierunt; aliqui excommunicati a nobis in paenitentiae locum redacti sunt. Et qui sibi petierunt, hoc volunt facere, quod faciebant; et qui a nobis excommunicati in paenitentiae locum redacti

[1] Cf. In Jo. tr. 121, 4, supra p. 45 et ann. 1; p. 56 ann. 2; De bapt. c. Donat. 6, 3, 5; In Jo. tr. 124, 7: „Omnibus igitur sanctis ad Christi corpus inseparabiliter pertinentibus propter huius vitae procellosissimae gubernaculum ad liganda et solvenda peccata claves regni caelorum primus apostolorum Petrus accepit." Serm. 295, 2, 2 infra p. 67 sq. — Ad quod Adam I p. 99 sqq.; ZkTh p. 411; 419 sq.

[2] Sermo habitus feria tertia paschae de resurrectione Domini in peroratione appellat paenitentes malamque eorum vitam acerbius queritur.

[3] Pro paenitentibus ritus proprius inter missam locum habebat, quo illi per paenitentiae tempus orante populo ab episcopo per manus impositionem benedicebantur. Cf., quae Sozomenus (Hist. eccl. 7, 16) de vigente hoc in ecclesia Romana usu narrat. Item Stat. eccl. antiqu. can. 80: „Omni tempore ieiunii manus paenitentibus imponitur" (AK p. 16 sq.; 94). Tempus quadragesimale agendae paenitentiae praecipue destinatum erat (AK p. 34; 96; 153). In Africa tamen vel saltem Hippone benedictio paenitentium et extra tempus ieiunii dari solita fuisse videtur, cum Augustinus in sermone nostro feria tertia paschae habito ritum illum brevi ante (verisimiliter die antecedente) in oculis omnium peractum esse insinuat (Jungmann, l. c. p. 12 et 32 ann. 106). Cf. En. in Ps. 61, 23 (supra p. 48), ubi mathematicum illum ante pascha paenitentiam petisse, attamen nonnisi aliquanto post ad eam admissum esse comperimus.

[4] Id est: Cum ad accipiendam benedictionem evocantur paenitentes, obsequentes sunt, emendare vero vitam non cogitant. — Episcopi erat paenitentium vitam examinare et eos, qui male se gesserant, corripere.

sunt, nolunt inde surgere, quasi electus sit locus paenitentium. Qui debet esse locus humilitatis, fit locus iniquitatis [1]. Vobis dico, qui vocamini paenitentes et non estis; vobis dico. *Quid vobis dicam? Laudo vos? In hoc non laudo* (1 Cor. 11, 22), sed gemo et plango.

Sermo 278, C. 12 (PL 38. 1273—1274) [2].

Omnia ergo praeterita conversis [3] dimittuntur. Ceterum huius vitae sunt quaedam gravia et mortifera, quae nisi per vehementissimam molestiam humiliationis cordis et contritionis spiritus et tribulationis paenitentiae non relaxantur. Haec dimittuntur per claves ecclesiae [4]. Si enim tu te coeperis iudicare, si tibi coeperis displicere, Deus veniet, ut misereatur. Si tu te punire volueris, parcet ille. Qui autem agit bene paenitentiam, suus ipse punitor est. Sit oportet ipse severus in se, ut in eum sit misericors Deus [5]; quomodo dicit David: *Averte faciem tuam a peccatis meis et omnes iniquitates meas dele* (Ps. 50, 11). Sed quo merito? Ait in ipso Psalmo: *Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, et peccatum meum ante me est semper* (Ps. 50, 5). Si ergo tu agnoscis, ille ignoscit. Sunt autem peccata levia et minuta, quae devitari omnino non possunt, quae quidem videntur minora, sed multitudine premunt. Nam et acervus frumenti minutissimis granis colligitur, et tamen onerantur inde naves; et si amplius onerentur, demerguntur. . . . Si ergo, quamvis minuta sint ista peccata, tamen quia tam multa sunt, ut congregata acervum faciant, quo te premant [6], bonus est Deus, qui etiam ipsa dimittit, sine quibus non potest ista vita duci. Quomodo autem dimittit, si tu non dimittas, quae in te committuntur?

Sermo 295, C. 2, 2 et 3, 2 (PL 38, 1349—1350) [7].

Cap. 2. — 2. Dominus Jesus discipulos suos ante passionem suam, sicut nostis, elegit, quos apostolos appellavit. Inter hos pene ubique

---

[1] Cf. Quaest. 17 in Matth. q. 11, 3, supra p. 42 et ann. 5; serm. 392, 6. — Locus paenitentium in extrema parte ipsius ecclesiae, non extra ecclesiam erat (vid. AK p. 91).

[2] De tribus modis paenitentiae. Vid. sermo 351, 2, 2 supra p. 17 et ann. 1.

[3] Conversis: id est baptizatis (c. 11).

[4] Attendas eadem esse peccata, quae „nisi per vehementissimam molestiam humiliationis cordis" relaxantur et quae „per claves ecclesiae" dimittuntur. Vid. Enchir. 82, 22 supa p. 14 et ann. 2.

[5] Cf. serm. 351, 4, 7; Quaest. in Heptateuch. q. 25; En. in Ps. 58, serm. 1, 13.

[6] Cf. supra p. 21 ann. 2.

[7] De clavibus caelorum Petro ecclesiae personam gerenti datis.

solus Petrus totius ecclesiae meruit gestare personam. Propter ipsam personam, quam totius ecclesiae solus gestabat, audire meruit: *Tibi dabo claves regni caelorum* (Mt. 16, 19). Has enim claves non homo unus, sed unitas accepit ecclesiae. Hinc ergo Petri excellentia praedicatur, quia ipsius universitatis et unitatis ecclesiae figuram gessit, quando ei dictum est: *Tibi trado*, quod omnibus traditum est. Nam, ut noveritis ecclesiam accepisse claves regni caelorum, audite in alio loco, quid Dominus dicat omnibus apostolis suis: *Accipite Spiritum sanctum.* Et continuo: *Si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei; si cuius tenueritis, tenebuntur* (Io. 20, 22. 23). Hoc ad claves pertinet, de quibus dictum est: *Quae solveritis in terra, soluta erunt et in caelo; et quae ligaveritis in terra, ligata erunt et in caelo* (Mt. 18, 18). Sed hoc Petro dixit. Ut scias, quia Petrus universae ecclesiae personam tunc gerebat, audi, quid ipsi dicatur, quid omnibus fidelibus sanctis: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te et ipsum solum. Si non te audierit, adhibe tecum unum aut duos; scriptum est enim: In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. Si nec ipsos audierit, refer ad ecclesiam; si nec ipsam audierit, sit tibi tamquam ethnicus et publicanus. Amen dico vobis, quia quae ligaveritis in terra, ligata erunt et in caelo; et quaecumque solveritis in terra, soluta erunt et in caelo* (Mt. 18, 15—18). Columba ligat, columba solvit; aedificium supra petram ligat et solvit [1].

Cap. 3. — 2. Timeant ligati, timeant soluti. Qui soluti sunt, timeant, ne ligentur; qui ligati sunt, orent, ut solvantur. *Criniculis peccatorum suorum unusquisque constringitur* (Prov. 5, 22), et praeter hanc ecclesiam nihil solvitur [2]. Quatriduano mortuo dicitur: *Lazare prodi foras* (Jo. 11, 43). Et prodiit de monumento institis ligatus manibus et pedibus. Excitat Dominus, ut mortuus de monumento prodeat, si cor tangit, ut peccati confessio foras exeat. Sed parum adhuc ligatus est [3]. Dominus ergo, postquam exiit Lazarus de monumento, ad discipulos suos, quibus dixerat: *Quaecumque solveritis in terra,*

[1] „Columba" (Cant. 6, 8) non aliter atque „aedificium supra petram" (Mt. 7, 24) significat ecclesiam, inquantum est congregatio „omnium fidelium sanctorum". Inde, quod Dominus omnibus fidelibus eandem ligandi solvendique potestatem dederit quam antea Petro, hunc omnibus fidelibus eam accepisse Augustinus demonstrat. Et per solos fideles bonos et sanctos Spiritum sanctum peccata dimittere, S. doctor contra Donatistas firmam sententiam defendit (Vid. In Jo. tr. 121, 4 et p. 45 ann. 1; Serm. 99, 9 et p. 66 ann. 1; De bapt. c. Donat. 3, 18, 23). Quo tamen non evacuatur episcoporum et sacerdotum potestas, quia solum per eorum ministerium ecclesia ligat et solvit (Vid. supra p. 56 ann. 2).

[2] Cf. serm. 71, 17, 28.

[3] Parum adhuc: quia ligatura iam resuscitati facile solvitur. En. in Ps. 66, 7: „Quod reliquum est, facile sanabitur." Serm. 352, 3, 8: „iam cetera implet ecclesiae ministerium." Vid. supra p. 64 ann. 1.

soluta erunt et in caelo (Mt. 18, 18): *Solvite*, inquit, *eum et sinite abire* (Jo. 11, 44). Per se excitavit, per discipulos solvit [1].

Sermo 352, C. 3, 8 (PL 39, 1558) [2].

Cap. 3. — 8. Restat paenitentiae tertium genus, unde aliquid breviter dicam, ut adiuvante Domino proposita et promissa persolvam. Est paenitentia gravior atque luctuosior, in qua proprie vocantur in ecclesia paenitentes [3], remoti etiam a sacramento altaris participandi, ne accipiendo indigne iudicium sibi manducent et bibant. Illa ergo paenitentia luctuosa est. Grave vulnus est: adulterium forte commissum est, forte homicidium, forte aliquod sacrilegium; gravis res, grave vulnus, lethale, mortiferum; sed omnipotens medicus. Iam post suggestionem facti et delectationem et consensionem et perpetrationem quasi quatriduanus mortuus putet [4]; sed nec ipsum Dominus deseruit, sed clamavit: *Lazare, prodi foras* (Jo. 11, 43). Cessit voci misericordiae moles sepulturae, cessit mors vitae, cessit infernus superno. Elevatus est Lazarus, processit de tumulo; et ligatus erat, sicut sunt homines in confessione peccati agentes paenitentiam. Iam processerunt a morte; nam non confiterentur, nisi procederent. Ipsum confiteri ab occulto et a tenebroso procedere est [5]. Sed quid Dominus ecclesiae suae? *Quae solveritis*, inquit, *in terra, soluta erunt et in caelo* (Mt. 18, 18). Proinde Lazaro procedente, quia implevit Dominus misericordiae suae bonum perducere ad confessionem mortuum latentem, putentem, iam cetera implet ecclesiae ministerium [6]: *Solvite illum et sinite abire* (Jo. 11, 44). Sed, carissimi, hoc genus paenitentiae nemo sibi proponat, ad hoc genus nemo se praeparet [7]; tamen si forte contigerit, nemo desperet.

---

[1] Cf. In Jo. tr. 49, 24, supra p. 44 et ann. 3.

[2] Sermo maximam similitudinem habet cum sermone 351, utroque tria deinceps genera paenitentiae tractante. Hoc quoque eis commune est, quod sine causa de origine eorum Augustiniana dubitatur (Vid. supra p. 15 ann. 2.) — In 3. capite, quod hic redditur, Augustinus explicat genus paenitentiae maioris.

[3] Cf. supra p. 6 ann. 1.

[4] Ut alias mersi in consuetudinem sic hic progressi tantum in ipsam perpetrationem peccati Lazaro sepulto comparantur, unde et ipsos non solum resuscitationis, quae a Deo, sed etiam solutionis, quae per claves fit ecclesiae, indigere conspicitur. Cf. supra p. 44 ann. 1 et p. 65 ann. 1.

[5] Cf. supra p. 44 ann. 3 et p. 64 ann. 1.

[6] Cf. supra p. 64 ann. 1 et p. 68 ann. 3.

[7] Haec ergo paenitentia, in qua dimittuntur peccata „per claves ecclesiae" (serm. 278, 12), in vita boni christiani locum non habet. Cf. supra p. 37 ann. 3.

Sermo 392, C. 2—6 (PL 39, 1710—1713)[1].

Cap. 2. Audite, carissimi, membra Christi et matris catholicae filii. Quod dico competentibus, audiant fideles; quod dico fidelibus, audiant competentes; quod dico competentibus et fidelibus, audiant paenitentes; quod dico fidelibus et competentibus et paenitentibus, audiant catechumeni[2], audiant omnes: omnes timeant, nemo contemnat. Sit mihi in consolationem vester auditus, ne sit vobis in testimonium dolor meus. Competentibus dico: Fornicari vobis non licet. Sufficiant vobis aut uxores aut nec uxores; concubinas vobis habere non licet. Audiat Deus, si vos surdi estis; audiant angeli eius, si vos contemnitis. Concubinas vobis habere non licet. Et si non habetis uxores, non licet vobis habere concubinas, quas postea dimittatis, ut ducatis uxores; quanto magis damnatio vobis erit, si habere volueritis et concubinas et uxores? Non vobis licet habere uxores, quarum priores mariti vivunt; nec vobis, feminae, habere viros licet, quorum priores uxores vivunt. Adulterina sunt ista coniugia, non iure fori, sed iure caeli. Nec eam feminam, quae per repudium discessit a marito, licet vobis ducere vivo marito. Solius fornicationis causa licet uxorem adulteram dimittere (Mt. 5, 32; 19, 19); sed illa vivente non licet alteram ducere. Et vobis, feminae, nec illos viros, a quibus per repudium discesserunt uxores eorum, maritos habere conceditur; non licet: adulteria sunt, non coniugia. Contemnitur Augustinus, timeatur vel Christus. Nolite imitari turbam malorum, infidelium, filii mei; nolite sequi vias latas, quarum finis ad interitum ducit (Mt. 7, 13). Qui baptizatus fuerit, aut continentiam Deo voveat aut permaneat cum uxore sua aut, si non habet, ducat uxorem.

Cap. 3. Audite me, fideles, id est baptizati. Quare moriemini iam renati? Quando baptizati per vias tortuosas et lubricas et immundas itis, nescitis, quia peritis? Peritis, filii mei, credite. Non vultis credere? Quid vobis facio? Qui fideles estis et auditis me, si forte talia commisistis, nolite addere, et ut vobis Deus ignoscat, orate. Si non potuistis habere vel noluistis pudicitiam coniugalem seu continentiam et

[1] Sermo iste non in hac forma habitus, sed ex duobus saltem conflatus est. Attamen partes eius quin omnes ad Augustinum pertineant, dubitare vix licere Maurini recte censent (PL 39, 1713 ann. b), cum et stilus modusque disputandi et doctrina aperte S. doctoris ingenium prodant. — Sermo acriter invehitur in adulteros eosque, ut paenitentiam publice in ecclesia agant, admonet.

[2] Competentes vocabantur ii catechumeni, qui proximi baptismo „ad percipiendum baptismum sua nomina iam dederant" et arcanis fidei imbuebantur (De fid. et op. 6, 9). — Etiam ipsa hac singulorum ecclesiae ordinum enumeratione paenitentes non secus atque catechumenos ab ipsis fidelibus stricte segregatos fuisse patet, ut credi non possit indiscretos fideles paenitentesque ad eandem episcopi benedictionem accessisse (Jungmann, l. c. 299 sqq.). Cf. serm. 232, 7, 8: „Abundant hic paenitentes; quando illis imponitur manus, fit ordo longissimus."

deviastis a proposito vel vinculi coniugalis vel devotae continentiae, sit in vobis dolor et humilitas paenitentiae. Apertius dico, nemo dicat: Non intellexi. Qui post uxores vestras vos illicito concubitu maculastis, si praeter uxores vestras cum aliqua concubuistis, agite paenitentiam, qualis agitur in ecclesia, ut oret pro vobis ecclesia [1]. Nemo sibi dicat: Occulte ago, apud Deum ago; novit Dominus, qui mihi ignoscat, quia in corde meo ago. Ergo sine causa dictum est: *Quae solveritis in terra, soluta erunt in caelo* (Mt. 18, 18)? Ergo sine causa sunt claves datae ecclesiae Dei? Frustramus evangelium, frustramus verba Christi? Promittimus vobis, quod ille negat? Nonne vos decipimus? Iob dicit: *Si erubui in conspectu populi confiteri peccata mea* (Iob 31, 33). Talis iustus, thesauri divini obryzum, tali camino probatus ista dicit; et resistit mihi filius pestilentiae, et erubescit genu figere sub benedictione Dei [2] superba cervix, mens tortuosa? Fortassis, imo quod non dubitatur, propterea Deus voluit, ut Theodosius imperator ageret paenitentiam publicam in conspectu populi [3], maxime quia peccatum eius celari non potuit [4]; et erubescit senator, quod non erubuit imperator? Erubescit, nec senator, sed tantum curialis, quod non erubuit imperator? Erubescit plebeius sive negotiator, quod non erubuit imperator? Quae ista superbia est? Nonne sola sufficeret gehennae, etiamsi adulterium nullum esset [5]?

Cap. 4. Postremo, fratres mei, audiunt me viri, audiunt me feminae, quid ad me irascimini? Utinam faciatis, quod scriptum est: *Irascimini et nolite peccare* (Ps. 4, 5). Timere debeo, ne contingat mihi,

[1] Ad hoc, ut scilicet paenitentes suffragiis populi adiuvarentur, ipsa publica paenitentiae forma instituta erat. Cf. Ambrosius, De paen. 1, 15, 80: „Operibus quibusdam totius populi purgatur et plebis lacrimis abluitur, qui orationibus et fletibus redimitur a peccato et in homine mundatur interiore. Donavit enim Christus ecclesiae suae, ut unum per omnes redimeret, quae Domini Jesu meruit adventum, ut per unum omnes redimerentur." Hieronymus, Dial. contr. Lucif. 5: „Nec prius (sacerdos) unum membrum restituit sanitati, quam omnia simul membra confleverint."

[2] Vid. supra p. 66 ann. 3.

[3] Ambrosius, De obitu Theod. 34: „Stravit omne, quo utebatur, insigne regium, deflevit in ecclesia publice peccatum suum . . . gemitu et lacrimis oravit veniam."

[4] Maxime quia . . .: non sola illa de causa publice paenituit.

[5] Ex qua demonstratione scelus adulterii non solum nisi clavibus ecclesiae, verum etiam nisi paenitentia publice in ecclesia acta dimitti non posse elucet. Quod et ipsa significata paenitentia talis, „qualis agitur in ecclesia", et dictum illud Jobi et exemplum Theodosii apertissime docent. Spectat autem admonitio ad adulteros omnes, non ad eos tantum, quorum mala vita omnibus nota erat; imo crimen adulterii plerumque occultum mansisse cum ex natura huius delicti tum ex iis, quae in cap. 4. de uxorum obligatione denuntiandi adulteros viros dicuntur (Cf. serm. 82, 8, 11 et supra p. 60 ann. 1), certe concludere licet. Unde sermo hic paenitentiam graviorem pro occultis quoque criminibus subeundam fuisse evidentissime ostendit. Cf. supra p. 26 ann. 1.

quod contigit apostolo Paulo, quod modo, cum legeretur, si intenti fuistis, audistis: *Ergo inimicus factus sum vobis verum praedicans* (Gal. 4, 16)? Et si ita est, fiat. Si necesse est, ut inimicus sim vobis, melius vobis opto esse quam iustitiae. Commendo vos custodiendos etiam uxoribus vestris. Filiae meae sunt, sicut et vos filii mei estis. Audiant me: zelent viros suos; non sibi servent vanam gloriam, qua solent a maritis impudicis matronae laudari, quia impudicitiam virorum suorum aequo animo ferunt. Nolo talem patientiam habeant christianae mulieres; prorsus zelent viros suos; non propter carnem suam, sed propter animas illorum. Omnino ego moneo, ego praecipio, ego iubeo: episcopus iubet, Christus in me iubet. Novit ille, in cuius conspectu ardet cor meum. Ego, inquam, iubeo. Nolite viros vestros permittere fornicari. Interpellate contra illos ecclesiam [1]. Non dico iudices publicos, non proconsulem, non vicarium, non comitem, non imperatorem; sed Christum. In ceteris omnibus ancillae estote virorum vestrorum, subditae ad obsequium. Nulla sit in vobis protervitas, nulla superbia, non contumeliosa cervix, non aliqua inobedientia; prorsus tamquam ancillae servite. Sed ubi ventum fuerit ad illud negotium, ubi vos beatus apostolus aequavit dicens: *Uxori vir debitum reddat, similiter et uxor viro*, subintulit: *Uxor non habet corporis sui potestatem, sed vir.* Quid te extollis? Audi, quod sequitur: *Similiter et vir non habet corporis sui potestatem, sed mulier* (1 Cor. 7, 3. 4). Ubi ad hoc ventum fuerit, clamate pro re vestra. Aurum tuum vendit maritus pro necessitate sua: ferto, femina; ferto, ancilla; noli litigare, noli contradicere. Contemptus auri tui dilectio est viri tui. Si villam tuam pro necessitate sua vendat, quae est et tua — non enim potest esse ipsius, quae non sit tua, si est caritas in te, quae debet esse in uxore —, ferto patienter; et si dubitat, tu offer; contemne omnia propter amorem viri tui. Sed castum opta, pro castitate litiga. Patienter pereat villa tua, non anima ipsius te patiente pereat.

Cap. 5. Non dico viris, ut in hac causa zelent uxores suas. Scio, quia faciunt, novi. Quis ferat uxorem adulteram? Et imperatur feminae, ut ferat adulterum virum! O iustitia! Quare? rogo te, quare? Quia ego sum vir. Vir es? in fortitudine tua probemus, quia vir es. Vir es? vince libidinem. Quomodo vir, quo uxor est fortior? Tu es caput mulieris, vir, verum est. Si caput est, ducat, uxor sequatur. Sed ubi recta est domus, caput mulieris vir. Si caput es, duc; sequatur illa caput suum. Sed vide, quo eas. Noli ire, quo non vis, ut sequatur; noli ire, quo times pedissequam, ne in foveam adulterii simul ruatis, ne, cum tu facis, doceas, quod facis. Dolet tibi anima, si in foveam adulterii ambo simul ruatis; doleat tibi, si tu solus ruas. Zelas, non

[1] Cf. serm. 82, 8, 11.

vis, ut ruat illa; time, tu noli ruere. Nolite autem, pudicissimae feminae, imitari impudicos viros vestros. Absit a vobis. Aut vobiscum vivant aut soli pereant. Impudico marito non debet mulier pudicitiam, sed Deo illam debet, Christo illam debet. Non propter illum faciat, qui non meretur, sed propter Christum faciat. Pretium suum attendat, tabulas suas legat. Postremo, quod libet, sentiat, qui forte indignatur, quia talia disputo; nam scio, qui sapiunt, amant inde me; quia non sine causa scriptum est: *Corripe sapientem, et amabit te; corripe insipientem, et adiciet odisse te* (Prov. 9, 8). Non dixit: incipiet, sed adiciet, quia iam oderat. Ergo scio, quia sapientes amant me in hoc. A communione se cohibeant, qui sciunt, quia novi peccata ipsorum, ne de cancellis proiciantur[1]. Quorum autem nescio, hos coram Deo convenio. Agant etiam ipsi paenitentiam et deinceps ab immunditia abstineant fornicationum suarum.

Cap. 6. Paenitentibus dico: Quid est, quod agitis? Scitote, nihil agitis. Quid prodest, quia humiliamini, si non mutamini[2]? Catechumenis dico: Exardescite voluntate ad percipiendam gratiam. Sed eligite vobis in ecclesia Dei, quos imitemini. Si non inveneritis, heu mihi, Deus meus! Quid est, quod dico: si non inveneritis? Ergo in populo fidelium non est, quem inveniatis? Per tot annos tot homines sine causa baptizavimus, si non ibi sunt, qui servent, quod acceperunt, qui custodiant, quod audierunt. Absit a me, ut hoc credam. Melius non vobis essem episcopus, si hoc ita est. Sed spero esse, credo esse. Inde est autem misera conditio mea, quia plerumque cogor adulteros nosse, castos nosse non possum. In occulto est, unde gaudeam, in publico est, unde torquear. Ergo desiderate gratiam Dei, eligite, quos imitemini, cum quibus vivatis et cum quibus colloquia dulcia caritatis habeatis. Nolite admittere susurrationes malas: *Corrumpunt mores bonos colloquia mala* (1 Cor. 15, 33). Vivite sicut spicae inter zizania; ferte tribulationes huius saeculi sicut grana in area. Veniet ventilator; nemo sit passim isto tempore separator.

De diversis quaestionibus 83, qu. 26 de differentia peccatorum (PL 40, 17—18)[3].

Alia sunt peccata infirmitatis, alia imperitiae, alia malitiae. Infirmitas contraria est virtuti, imperitia contraria est sapientiae, malitia contraria est bonitati. Quisquis igitur novit, quid sit virtus et sa-

[1] Cf. serm. 351, 4, 10.

[2] Cf. Quaest. 17 in Matth. qu. 11, 3; serm. 232, 7, 8.

[3] Octoginta tres huius libri quaestiones Augustinus a tempore conversionis suae, sicut a singulis interrogabatur, dictavit et episcopus factus (anno 395) colligi iussit (Retract. 1, 26). Quarum quaestio 26 „de differentia peccatorum" sub-

pientia Dei, potest existimare, quae sint peccata venialia. Et quisquis novit, quid sit bonitas Dei, potest existimare, quibus peccatis certa poena debeatur et hic et in futuro saeculo. Quibus bene tractatis probabiliter iudicari potest, qui non sint cogendi ad paenitentiam luctuosam et lamentabilem, quamvis peccata fateantur, et quibus nulla omnino speranda sit salus, nisi sacrificium obtulerint Deo spiritum contribulatum per paenitentiam [1].

De fide et operibus C. 26, 48 (CSEL 41, 93—94; PL 40, 227—228) [2].

Caveamus ergo diligenter in adiutorio Domini Dei nostri non facere homines male securos, dicentes eis, quod si fuerint in Christo baptizati, quomodolibet in ea fide vixerint, eos ad salutem aeternam esse venturos, ne sic faciamus christianos, quomodo Judaei proselytos, quibus Dominus ait: *Vae vobis, scribae et pharisaei, qui circumitis mare et terram facere unum proselytum; cum autem feceritis, facitis eum filium gehennae duplo, quam vos estis* (Mt. 23, 15). Sed potius sanam

venire vult gravissimae illi curae ac sollicitudini, quae pastoribus animarum exoritur ex difficultate decernendi, qui peccatores ad paenitentiam graviorem tenendi sint (Cf. Enchir. 80, 21; ep. 95, 3). Est eadem quaestio, quam multo post fusius disputavit, eodem autem modo solvit in libro 4 Quaest. in Heptateuch. qu. 24 sq., propter quod in explicando textu imprimis hunc locum adhibere iuvabit. Vid. supra p. 39 ann. 3 et 40 ann. 1.

[1] Sensus huius brevis instructionis hic est: In virtute Dei cernitur humana infirmitas, in Dei sapientia humana imperitia, in Dei bonitate humana malitia. Quapropter qui animo comprehenderunt, quae sint virtus, sapientia, bonitas Dei, perspicacius quoque videbunt, quae peccata infirmitati aut ignorantiae tribuenda veniam mereantur, quaeque nata ex malitia damnationem aeternam trahant, nisi hic per paenitentiam luctuosam expientur. — Unde cognoscitur „venialia" non solum esse peccata per se levia, sed, ut ipsum verbum sonat, quaecumque veniam capiunt punitionemque, quae fit per paenitentiam maiorem, non requirunt, ergo etiam talia, quae, etsi extrinsecus gravia videntur, tamen absente voluntatis malitia minoris culpae aestimanda sunt. Quo iure infirmitatis et ignorantiae peccata venialibus annumerare liceat, Augustinus hic non ostendit, sed licere pro certo ponit. Item non dicit, quo remedio sananda sint. Attamen cum praeter crimina paenitentiam maiorem requirentia cetera peccata oratione iustisque operibus deleri quam saepissime doceat, dubitari non potest, quin et illa peccata ignorantiae aut infirmitatis eodem modo curentur (cf. prae aliis De fid. et op. 19, 34, supra p. 41 ann. 3; De symb. 7, 15). Itaque omni fundamento caret, quod secreta solutione sacerdotis ea dimissa esse nonnulli ex textu nostro probare volunt, frustra provocantes ad verba illa „quamvis peccata fateantur". Nam confiteri sacerdoti peccata nondum idem est ac solvi ab eo, cum scilicet unicuique conscientiam suam episcopo vel sacerdoti aperire opus esset, qui ipse de modo sanandi peccata sua incertus ab illo consilium expetebat. — KC p. 27 sqq.; Adam II p. 36 sqq.; Galtier, l. c. 311 sqq.

[2] De proposito huius libri vid. Enchir. 67, 18, supra p. 7.

doctrinam Dei magistri in utroque teneamus, ut sancto baptismo consona sit vita christiana, nec cuiquam homini, si utrumlibet defuerit, vita promittatur aeterna. Qui enim dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex Spiritu sancto, non intrabit in regnum caelorum* (Jo. 3, 5), ipse etiam dixit: *Nisi abundaverit iustitia vestra super scribarum et pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum* (Mt. 5, 20). De illis quippe ait: *Scribae et pharisaei cathedram Moysi sedent. Quae dicunt, facite; quae autem faciunt, facere nolite; dicunt enim et non faciunt* (Mt. 23, 2. 3). Ergo iustitia eorum est: dicere et non facere. Ac per hoc nostram esse voluit abundantem super illorum: dicere et facere; quae si non fuerit, non intrabitur in regnum caelorum. Non quia quisquam ita debet extolli, ut, non dicam apud alios iactare, sed apud se ipsum putare audeat se in hac vita esse sine peccato. Sed nisi essent quaedam ita gravia, ut etiam excommunicatione plectenda sint, non diceret apostolus: *Congregatis vobis et meo spiritu tradere eiusmodi satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu* (1 Cor. 5, 4. 5) [1]. Unde etiam dicit: *Ne lugeam multos, qui ante peccaverunt et non egerunt paenitentiam super immunditiam et fornicationem, quam gesserunt* (2 Cor. 12, 21). Item nisi essent quaedam non ea humilitate paenitentiae sananda, qualis in ecclesia datur eis, qui proprie paenitentes vocantur, sed quibusdam correptionum medicamentis, non diceret ipse Dominus: *Corripe eum inter te et ipsum; si te audierit, lucratus es fratrem tuum* (Mt. 18, 15). Postremo nisi essent quaedam, sine quibus haec vita non agitur, non cotidianam medelam poneret in oratione, quam docuit, ut dicamus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (Mt. 6, 12) [2].

[1] Damnatione hac incesti Corinthii veteres ad monstrandam ecclesiae et potestatem et officium excommunicandi sceleratos praecipuo scripturae argumento utebantur.

[2] Notabile in hac expositione est, quod non duplex, sed triplex esse legitur remedium peccatorum, quae post baptismum committuntur, interpositis scilicet inter paenitentiam humilem et paenitentiam cotidianam „quibusdam correptionum medicamentis" pro talibus peccatis, quae minus gravia sunt iis, quae ad primam, graviora autem iis, quae ad secundam illam speciem paenitentiae pertinent. Itaque non mirandum est, quod, qui praeter paenitentiam publice in ecclesia agendam in usu fuisse secretam quoque formam paenitentiae sacramentalis opinantur, illa „correptionum medicamenta" nihil aliud esse affirmant atque secretam absolutionem in forma correptionis a sacerdote datam et hunc locum fortissimum opinionis suae argumentum censent (Adam 11 p. 39 sqq.; Galtier, l. c. p. 326 sqq.). Quod tamen erroneum est. Ac primum quidem sententiae illi omnino est contrarium, quod Augustinus nullo alio loco talem paenitentiae modum commemorat, sed semper nonnisi duo genera paenitentiae baptizatorum esse docet. Deinde correptio, sive fit in praedicando Dei verbo sive in forma secretae admonitionis sive etiam in severissima forma excommunicationis, non ipsa peccata delet sicut illa duo genera paenitentiae, sed hoc solum efficit, ut homo ad agnoscendum peccatum atque ad paenitentiam permoveatur (vid. serm. 82, 4, 7; 8, 11 et supra

De symbolo sermo ad catechumenos C. 7, 15—8, 16 (PL. 40, 636)[1].

Cap. 7. — 15. Remissionem peccatorum: Habetis symbolum perfecte in vobis, quando baptizamini. Nemo dicat: Illud feci, forte non mihi dimittitur. Quid fecisti? quantum fecisti? Dic immane aliquid, quod commisisti, grave, horrendum, quod etiam cogitare horres: quidquid vis, feceris, numquid Christum occidisti? Non est isto facto aliquid peius, quia et Christo nihil est melius. Quantum nefas est occidere Christum? Judaei tamen eum occiderunt et multi in eum postea crediderunt et biberunt eius sanguinem: dimissum est illis peccatum, quod commiserunt. Cum baptizati fueritis, tenete vitam bonam in praeceptis Dei, ut baptismum custodiatis usque in finem. Non vobis dico, quia sine peccato hic vivetis; sed sunt venialia, sine quibus vita ista non est. Propter omnia peccata baptismus inventus est; propter levia, sine quibus esse non possumus, oratio inventa.

p. 58 ann. 1, p. 60 ann. 1; Quaest. 17 in Matth. 11, 3 et supra p. 42 ann. 5; imprimis autem De corr. et gr. 5, 7, infra p. 89 sq.). Postremo effectus ullus sacramentalis correptioni ea etiam de causa adscribi non potest, quia corripere peccantem, quamvis ad officium praecipue pertineat pastoris animarum, tamen et uniuscuiusque fidelium est, qui, si recte rem aggreditur, non minus sanare illum potest quam sacerdos (Serm. 82, 4, 7). Sunt certe correptiones medicamenta peccatorum, unde recte cum duobus aliis sanandi modis comparantur; verum non sunt sicut hi formae ipsius paenitentiae, sed mera adiumenta ad provocandam paenitentiam, quae ipsa pro diversitate delictorum aut per modum excommunicationis aut per sola satisfactionis opera agenda est. Cui non repugnat, quod medicamentis illis correptionum ea sanari Augustinus dicit, quae non paenitentiam humilem exposcant. Sicut enim ex contextu conspicitur, S. doctoris hic omnino non interest planius explicare, quae tota cuiusque sit trium remediorum efficacia, imo nonnisi obiter ea adhibet ad ostendendum homines in hac vita esse non posse sine peccato, cum diversis, quae Deus providerit peccatorum remediis, diversa respondere ipsorum peccatorum genera necesse sit. Et sunt revera et talia peccata, quae, quia non gravissima, neque excommunicatione plectenda sunt neque, quia non levissima, sola cotidiana paenitentia redimuntur, sed correptionibus sanantur; non quidem quo ipsa conversio et satisfactio sine correptione non sufficeret, sed quod saepissime peccatores, nisi corriperentur, sua sponte non converterentur (Sermo 82, 4, 7: „Si te audierit, lucratus es fratrem tuum; quia perierat, nisi faceres"). Sine conversione autem remissio non est, neque gravissimorum neque minus gravium, exceptis tantum minimis et inevitabilibus delictis, quae ipsa oratione cotidiana compensantur (Serm. 9, 11, 18: „Aliud est, ubi mutes vitam, aliud est, ubi toleres vitam"). Quae cum ita sint, tria, quae Augustinus hic enumerat genera remediorum peccati, cum firma eius doctrina de duobus modis baptizatorum paenitentiae prorsus consonant. — Ceterum S. doctor similiter atque hic et in 2. libro Contr. Cresc. 12, 15 (infra p. 86) complures, quo homines docente scriptura a peccatis mundantur, modos enumerat, ita tamen, ut correptionis medicamenti ne mentionem quidem faciat. — KC p. 41 sqq.

[1] Ad articulum de remissione peccatorum Augustinus tres modos paenitentiae breviter perstringit.

Quid habet oratio? *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (Mt. 6, 12). Semel abluimur baptismate, quotidie abluimur oratione. Sed nolite ea committere, pro quibus necesse est, ut a Christi corpore separemini; quod absit a vobis. Illi enim, quos videtis agere paenitentiam, scelera commiserunt, aut adulteria aut aliqua facta immania; inde agunt paenitentiam. Nam si levia peccata ipsorum essent, ad haec quotidiana oratio delenda sufficeret.

Cap. 8. — 16. Ergo tribus modis dimittuntur peccata in ecclesia: in baptismate, in oratione, in humilitate maiore[1] paenitentiae[2]; tamen Deus non dimittit peccata nisi baptizatis. Ipsa peccata, quae primum dimittit, non nisi baptizatis dimittit. Quando? Quando baptizantur. Peccata, quae postea orantibus dimittuntur et paenitentibus, quibus dimittit, baptizatis dimittit. Nam quomodo dicunt: *Pater noster*, qui nondum nati sunt? Catechumeni quamdiu sunt, super illos sunt omnia peccata eorum[3]. Si catechumeni, quanto magis pagani? quanto magis haeretici? Sed haereticis baptismum non mutamus. Quare? Quia sic habent baptismum, quomodo desertor habet characterem; ita et isti habent baptismum; habent, sed unde damnentur, non unde coronentur. Et tamen si desertor ipse correctus incipiat militare, numquid audet quisquam ei characterem mutare[4]?

De civitate Dei L. 20, C. 9, 2 (CSEL 40, 2, 450—451; PL 41, 673—674)[5].

De hoc ergo regno militiae, in quo adhuc cum hoste confligitur et aliquando repugnatur pugnantibus vitiis, aliquando cedentibus imperatur, donec veniatur ad illud pacatissimum regnum, ubi sine hoste regnabitur, et de hac prima resurrectione (Apoc. 20, 5), quae nunc est, liber iste sic loquitur. Cum enim dixisset alligari diabolum mille annis et postea solvi brevi tempore, tum recapitulando, quid in istis annis

[1] Sic. Mss., cum editiones priores „maioris" habent.

[2] Hic non minus quam in fine capituli antecedentis duo tantum paenitentiae genera baptizato adhuc patere tam clare stricteque enuntiatur, ut tertium etiam genus in usu fuisse prorsus extra dubitationem sit. Cf. supra p. 17 ann. 1.

[3] Etiam inde apparet remissionem peccatorum non iam gratia resuscitationis dari, cum catechumeni non minus quam peccatores fideles, qui ad paenitentiam convertuntur, a Deo iam resuscitati sint. Cf. supra p. 44 ann. 3; p. 45 ann. 1; p. 49 ann. 1 et 2,

[4] Ad quod cf. serm. 71, 19, 32, supra p. 55 et 56 ann. 1.

[5] Disserens de regno sanctorum cum Christo per mille annos dominantium (Apoc. 20, 6) Augustinus hoc regnum ecclesiam esse ostendit, qualis nunc sit, in bonis scilicet et malis consistens, non qualis in illo saeculo, quando malus in ea non futurus sit; regnare autem ecclesiam per praepositos ligandi et solvendi potestatem exercentes.

agat ecclesia vel agatur in ea: *Et vidi*, inquit, *sedes et sedentes super eas, et iudicium datum est* (Apoc. 20, 4). Non hoc putandum est de ultimo iudicio dici; sed sedes praepositorum et ipsi praepositi intelligendi sunt, per quos nunc ecclesia gubernatur. Iudicium autem datum nullum melius accipiendum videtur quam id, quod dictum est: *Quae ligaveritis in terra, ligata erunt et in caelo; et quae solveritis in terra, soluta erunt et in caelo* (Mt. 18, 18). Unde apostolus: *Quid enim mihi est*, inquit, *de his, qui foris sunt, iudicare? Nonne de his, qui intus sunt, vos iudicatis* (1 Cor. 5, 12)? *Et animae*, inquit, *occisorum propter testimonium Jesu et propter verbum Dei* — subauditur, quod postea dicturus est — *regnaverunt cum Jesu mille annis* (Apoc. 20, 4), animae scilicet martyrum nondum sibi corporibus suis redditis. Neque enim piorum animae mortuorum separantur ab ecclesia, quae nunc etiam est regnum Christi. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi; nec aliquid prodesset ad eius baptismum in periculis currere, ne sine illo finiatur haec vita, nec ad reconciliationem, si forte per paenitentiam malamve conscientiam quisque ab eodem corpore separatus est. Cur enim fiunt ista, nisi quia fideles etiam defuncti membra sunt eius[1]?

Contra epistulam Parmeniani L. 3 C. 13—15 (CSEL 51, 114—119, PL 43, 92—94)[2].

Cap. 13. In hac velut angustia quaestionis non aliquid novum aut insolitum dicam, sed id, quod sanitas observat ecclesiae, ut, cum quisque fratrum, id est christianorum intus in ecclesiae societate constitutorum in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc, ubi periculum schismatis nullum est, atque id cum ea dilectione, de qua ipse alibi praecipit dicens: *Ut non inimicum eum existimetis, sed corripite ut fratrem* (2 Thess. 3, 15). Non enim ad eradicandum fit, sed ad corrigendum. Quodsi se non agnoverit neque paenitendo correxerit, ipse foras exiet et per propriam voluntatem ab ecclesiae communione dirimetur. Nam et ipse Dominus, cum servis volentibus zizania colligere dixit: *Sinite utraque crescere*

[1] Reconciliationis vis et necessitas necnon sacerdotum potestas quam maxime hic collustrantur. Cf. ep. 228, 8, supra p. 37 et ann. 1; ep. 71, 23, 37, p. 56 et ann. 2.

[2] Contra epistulam Parmeniani tres libros Augustinus prope annum 400 conscripsit ad refellendas criminationes, quas Donatistarum ille episcopus contra catholicos effuderat. In textu hic allato fusius usum et rationem defendit, qua ecclesia in excommunicandis aut tolerandis malis ducitur. Est eadem quaestio, ex qua et ipsi catholico episcopo in administranda disciplina quam maximas difficultates et sollicitudines oriri saepius queritur (Enchir. 80, 21; serm. 351, 4, 10; ep. 95, 3; serm. 17, 3, 3; De fid. et op. 2, 3 sq.).

usque ad messem, praemisit causam dicens: *Ne forte, cum vultis colligere zizania, eradicetis simul et triticum* (Mt. 13, 30. 29). Ubi satis ostendit, ⟨ut,⟩ cum metus iste non subest, sed omnino de frumentorum stabilitate certa securitas manet, id est quando ita cuiusquam crimen notum est et omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorsus vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat severitas disciplinae, in qua tanto est efficacior emendatio pravitatis, quanto diligentior conservatio caritatis. Tunc autem hoc sine labe pacis et sine laesione frumentorum fieri potest, cum congregationis ecclesiae multitudo ab eo crimine, quod anathematur, aliena est. Tunc enim adiuvat praepositum potius corripientem quam criminosum resistentem; tunc se ab eius coniunctione salubriter continet, ut nec cibum cum eo quisquam sumat, non rabie inimica, sed coercitione fraterna; tunc etiam ille et timore percutitur et pudore sanatur, cum ab universa ecclesia se anathematum videns sociam turbam, cum qua in delicto suo gaudeat et bonis insultet, non potest invenire.

Cap. 14. Ad hoc enim et ipse apostolus ait: *Si quis frater nominatur* (1 Cor. 5, 11). In eo quippe, quod ait „si quis", nihil aliud videtur significare voluisse nisi eum posse tali modo salubriter corrigi, qui inter dissimiles peccat, id est inter eos, quos peccatorum similium pestilentia non corrumpit. In eo vero, quod ait „nominatur", hoc nimirum intelligi voluit, parum esse, ut sit quisque talis, nisi etiam nominetur, id est famosus appareat, ut possit omnibus dignissima videri, quae in eum fuerit anathematis prolata sententia. Ita enim et salva pace corrigitur et non interfectorie percutitur, sed medicinaliter uritur. Propterea et de illo dixit, quem tali medicina sanari voluerat: *Satis est huic correptio haec, quae ⟨a⟩ multis* (2 Cor. 2, 6). Neque enim potest esse salubris a multis correptio, nisi cum ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem. Cum vero idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud bonis restat quam dolor et gemitus, ut per illud signum, quod Ezechieli sancto revelatur, illaesi evadere ab illorum vastatione mereantur (Ez. 9, 4) — ad eum enim, qui errare non potest, clamant: *Ne comperdas cum impiis animam meam et cum viris sanguinum vitam meam* (Ps. 25, 9) —, ne, cum voluerint colligere zizania, eradicent simul et triticum nec per diligentiam segetem dominicam purgent, sed per temeritatem ipsi potius inter purgamenta numerentur. Ideoque idem apostolus, cum iam multos comperisset immunda luxuria et fornicationibus inquinatos, ad eosdem Corinthios in secunda epistula scribens non identidem praecipit, ut cum talibus cibum non sumerent; multi enim erant, nec dici de his poterat: *Si quis frater nominatur fornicarius aut avarus aut aliquid tale, cum eiusmodi nec quidem cibum simul sumere* (1 Cor.

5, 11), sed ait: *Ne iterum cum venero, humiliet me Deus ad vos et lugeam multos ex his, qui ante peccaverunt et non egerunt paenitentiam super immunditia et luxuria et fornicatione, quam gesserunt* (2 Cor. 12, 21). Per luctum suum potius eos divino flagello coercendos minatur quam per illam correptionem, ut ceteri se ab eorum coniunctione contineant. Consequenter enim dicit: *Ecce tertio hoc veniam ad vos. In ore duum vel trium testium stabit omne verbum. Praedixi et praedico, sicut praesens secundo et nunc absens, his, qui ante peccaverunt, et ceteris omnibus, quia, si venero iterum, non parcam, quia probationem quaeritis eius, qui in me loquitur Christi* (2 Cor. 13, 1—3). Quid aliud hic dixit: *Non parcam*, nisi quod superius ait: *Et lugeam*, ut luctus eius impetraret flagellum a Domino, quo illi corriperentur, qui iam propter multitudinem non poterant ita corripi, ut ab eorum coniunctione se ceteri continerent et eos erubescere facerent, sicut faciendum est, si quis frater in aliquo ceteris dissimili crimine nominatur? Et revera, cum contagio peccandi multitudinem invaserit, divinae disciplinae severa misericordia necessaria est [1]. Nam consilia separationis et inania sunt et perniciosa atque sacrilega, quia et impia superbia fiunt et plus perturbant infirmos bonos, quam corrigunt animosos malos. Sicut ille fidelissimus testis avaritiae collegarum [2], cum ea mala tribulationum, quae patiebatur illo tempore ecclesia, censurae divinae disciplinaeque tribueret, commemoratis, quos noverat, episcoporum pessimis moribus, qui esurientibus fratribus habere argentum largiter vellent, fundos insidiosis fraudibus raperent, usuris multiplicantibus fenus augerent: „Quid non", inquit, „perpeti tales pro peccatis huiusmodi mereremur" (De lapsis 6)? Et deinde adhibet testimonium de Psalmis dicens: „Cum iam pridem praemonuerit et dixerit censura divina: *Si dereliquerint filii eius legem meam et in iudiciis meis non ambulaverint, si iustificationes meas profanaverint et praecepta mea non observaverint, visitabo in virga facinora eorum et in flagellis delicta eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eis* (Ps. 88, 31—34)."

Cap. 15. Misericorditer igitur corripiat homo, quod potest; quod

---

[1] Eandem curandi peccatores regulam testatur Caesarius Arelatensis. Serm. 288, 5 (PL 39, 2290): „Plures sunt, qui sibi concubinas adhibent, antequam uxores accipiant; et quia grandis multitudo est, excommunicare omnes non potest episcopus, sed cum gemitu et suspiriis multis tolerat et exspectat, si forte pius et misericors Dominus det illis fructuosam paenitentiam, per quam possunt ad indulgentiam pervenire." Item serm. 288, 2. Cf. AK 125 sq. — Hinc videtur, quam absonum sit opinari ecclesiam, cum ob evitanda maiora mala sceleratos excommunicare non posset, condonata maiore paenitentia acquievisse in eorum paenitentia privata. Revera exspectabat, si forte „divinae disciplinae severa misericordia" tribulationibus quibuscumque eos adduceret, ut ex seipsis paenitentiam debitam subirent. Vid. supra p. 34 ann. 1.

[2] Cyprianus scilicet, quem iam antea induxit.

autem non potest, patienter ferat et cum dilectione gemat aut lugeat, donec aut ille desuper emendet et corrigat aut usque ad messem differat eradicare zizania et paleam ventilare. Ut tamen securi de salute sua bonae spei christiani inter desperatos, quos corripere non valent, in unitate versentur, auferant malum a se ipsis, id est, ut in ipsis non inveniatur, quod eis in moribus displicet aliorum. Cum enim dixisset apostolus: *Quid enim mihi de his, qui foris sunt, iudicare? Nonne de his, qui intus sunt, vos iudicatis? De his autem, qui foris sunt, Deus iudicabit* (1 Cor. 5, 12. 13), tamquam illi responderent: „Quid agimus, cum ita improborum multitudine premimur, ut iudicium nostrum in aliquam coercitionem non possimus exerere“ [1]? *Auferte*, inquit, *malum ex vobis ipsis* (1 Cor. 5, 13), id est: Si non potestis auferre malos ex medio vestrum, ipsum malum auferte ex vobis ipsis. Quodsi quisquam velit sic intelligere, quod dictum est: *Auferte malum ex vobis ipsis*, ut per correptionem separationis de congregatione fratrum malus quisque auferendus sit, studio tamen sanandi, non odio perimendi esse faciendum nemo dubitaverit [2]. Et quis adhibendus sit modus temporaque servanda, ne pax ecclesiae violetur, in qua maxime tritico parcendum est, ne simul cum zizaniis eradicetur, quod in praesentia visum est necessarium, disseruimus. Haec qui diligenter et pacifice cogitat, nec in conservatione unitatis negligit disciplinae severitatem nec immoderatione coercitionis dirrumpit vinculum societatis.

De baptismo contra Donatistas L. 3 C. 16, 21—18, 23 (CSEL 51, 212—216; PL 43, 148—151) [3].

Cap. 16. — 21. Spiritus autem sanctus quod in sola catholica per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi maiores nostri

[1] Maurini habent: exercere.

[2] In 2. libro Retract. c. 17 Augustinus priore, quam hic dedit, explicatione reiecta verbum illud „Auferte malum ex vobis ipsis“ nonnisi sic esse intelligendum concedit, ut homo malus per ecclesiasticam disciplinam auferatur ex hominibus bonis. — Prorsus autem a S. doctore semper afuit ita interpretari apostoli dictum, ut et ipsi scelerati, dummodo non essent famosi, sine paenitentia graviore subeuntes tantum secretam sacerdotis correptionem malum ex se auferre possent (Adam II p. 50). Quodsi in libro de fid. et op. 2, 3 dicit: „Sed utrolibet modo intelligatur, sive ut severitate ecclesiae mali excommunicationibus corripiantur, sive ut se quisque corripiendo et corrigendo a se ipso auferat malum“, ipse similis, qui nos occupat, in 3. libro contra Parm. locus aperte ostendit non proprie malos, imo ceteros fideles eum hortari, ut se corripiendo a se auferant malum. Quod evidentius etiam confirmatur in eiusdem libri capite 3, 2: „auferant malum a se ipsis, id est non cum eis peccando nec eis ad peccandum consentiendo aut favendo integerrimi inter eos et incorruptissimi versarentur, quia per malum suum malis quisque consentit“. — KC 52 sq.

[3] In opere hoc, item anno circiter 400 scripto, Augustinus contra Donatistas

voluerunt, quod apostolus ait: *Quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (Rom. 5, 5). Ipsa est enim caritas, quam non habent, qui ab ecclesiae catholicae communione praecisi sunt ac per hoc, etiamsi linguis hominum et angelorum loquantur et sciant omnia sacramenta et omnem scientiam, et si habeant omnem prophetiam et omnem fidem, ita ut montes transferant, et distribuant omnia sua pauperibus et tradant corpus suum, ut ardeant, nihil eis prodest (1 Cor. 13, 1—3). Non autem habet Dei caritatem, qui ecclesiae non diligit unitatem, ac per hoc recte intelligitur dici non accipi nisi in catholica Spiritus sanctus. ... Multae autem sunt operationes Spiritus sancti, quas idem apostolus, cum quodam loco, quantum sufficere arbitratus est, commemorasset, ita conclusit: *Omnia autem haec operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique, prout vult* (1 Cor. 12, 11). Cum ergo aliud sit sacramentum, quod habere etiam Simon magus potuit (Act. 8, 13), aliud operatio Spiritus, quae in malis etiam hominibus fieri solet, sicut Saul habuit prophetiam (1 Reg. 10, 6. 10), aliud operatio eiusdem Spiritus, quam nisi boni habere non possunt, sicut est finis praecepti caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta (1 Tim. 1, 5): quodlibet haeretici et schismatici accipiant, *caritas*, quae *cooperit multitudinem peccatorum* (1 Petr. 4, 8), proprium donum est catholicae unitatis et pacis, nec eius in omnibus, quia nec omnes sunt eius, sicut suo loco videbimus. Praeter ipsam tamen esse illa caritas non potest, sine qua cetera, etiamsi agnosci et approbari possunt, prodesse tamen et liberare non possunt. Manus autem impositio non sicut baptismus repeti non potest. Quid est enim aliud nisi oratio super hominem [1]?

---

ad S. Cyprianum provocantes extra ecclesiam baptismum quidem, non tamen Spiritum sanctum remissionemque peccatorum dari probat. In quo ad paenitentiae doctrinam spectant, quae de munere ministri sacramentum conferentis et de ipsa remissionis peccatorum causa necnon de modo recipiendi haeretici in ecclesiam dicuntur. Cf. In Jo. tr. 121, 4; serm. 99, 9; serm. 71, 19, 32.

[1] Manus impositionem, per quam Spiritus sanctus datur, Augustinus non proprie esse sacramentum aestimat; qua de causa de haeresi veniens ad ecclesiam eam accipit, quamquam et iam in haeresi, cum baptizaretur, accepit. Quia non sacramentum, manus impositio haec foris data aliter ac baptismus omnino inefficax putabatur, ita ut, cum venienti ad ecclesiam daretur, vice confirmationis fungeretur, complens, quod extra ecclesiam dari non posset (Cf. serm. 71, 3: „Non enim defuit etiam foris positis ista forma pietatis [i. e. baptismus], sed accedit eis, quae nisi intus potest dari, unitas Spiritus in vinculo pacis."). Contra autem ritus iste, cum Spiritum sanctum dans idem ipsum efficere crederetur, quod reconciliatio efficit paenitentis, et forma quaedam paenitentiae censeri poterat, etsi paenitentiam agere maiorem, quamvis grave peccatum haeresis censeretur, ab haeresi venientes non tenebantur. — Cf. De bapt. c. Donat. 5, 23, 33: „Potest esse baptisma, ubi non est ecclesia. Manus autem impositio si non ad-

Cap. 17. — 22. Nam quod in typo unitatis Petro Dominus dedit potestatem, ut id solveretur in terris, quod ille solvisset, manifestum est, quod illa unitas etiam una columba perfecta sit dicta. Numquid ergo ad eandem columbam pertinent omnes avari, de quibus in eadem catholica graviter idem Cyprianus ingemuit (De laps. 6)? Nam, ut opinor, raptores non columbae, sed accipitres dici possunt. Quomodo ergo baptizabant, qui fundos insidiosis fraudibus rapiebant et usuris multiplicantibus fenus augebant, si sola illa columba, id est illa unitas, quae nisi in bonis intelligi non potest, simplex et casta et perfecta baptizat? An forte per orationes sanctorum spiritualium, qui sunt in ecclesia, tamquam per columbae creberrimum gemitum magnum geritur sacramentum et occulta dispensatio misericordiae Dei, ut eorum etiam peccata solvantur, qui non per columbam, sed per accipitrem baptizantur, si ad illud sacramentum cum pace catholicae unitatis accedunt? Quod si ita est, cur non ergo per eorum orationes, cum quisque ab haeresi aut schismate ad pacem catholicam venit, eius peccata solvuntur? Sacramenti autem integritas ubique cognoscitur, sed ad peccatorum illam irrevocabilem remissionem extra unitatem ecclesiae non valebit. Nec in haeresi aut schismate constitutum sanctorum orationes, id est illius unicae columbae gemitus, poterunt adiuvare, sicut nec intus positum possunt, si adversum se ipse per vitam pessimam teneat debita peccatorum, non solum si per accipitrem, sed etiam si per ipsius columbae pium ministerium baptizetur.

Cap. 18. — 23. *Sicut misit me*, inquit, *Pater, et ego mitto vos. Hoc cum dixisset, inspiravit et ait illis: Accipite Spiritum sanctum. Si cuius remiseritis peccata, remittentur illi; si cuius tenueritis, tenebuntur illi* (Jo. 20, 21—23). Ergo si personam gerebant ecclesiae et sic eis hoc dictum est, tamquam ipsi ecclesiae diceretur, pax ecclesiae dimittit peccata et ab ecclesiae pace alienatio tenet peccata [1], non secundum arbitrium hominum, sed secundum arbitrium Dei et orationes sanctorum spiritualium, qui omnia iudicant, ipsi autem a nemine iudicantur (1 Cor. 2, 15). Petra enim tenet, petra dimittit; columba tenet, columba dimittit [2]; unitas tenet, unitas dimittit. Pax autem huius unitatis in solis bonis est, vel iam spiritualibus vel ad spiritualia concordi oboedientia proficientibus; in malis autem non est, sive foris

hiberetur ab haeresi venienti, tamquam extra omnem culpam esse iudicaretur; propter caritatis autem copulationem, quod est maximum donum Spiritus sancti, sine quo non valent ad salutem, quaecumque alia sancta in homine fuerint, manus haereticis correctis imponitur." — Quem suscipiendi haeretici ritum iam edictum illud celebre Stephani testatur, quod Cyprianus tradidit (ep. 74, 1): „Nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illis imponatur in paenitentiam." — KC 15 sqq.

[1] Cf. supra p. 45 ann. 1.

[2] Cf. supra p. 68 ann. 1.

tumultuentur sive intus cum gemitu tolerentur et baptizent et baptizentur. Sicut autem isti, qui intus cum gemitu tolerantur, quamvis ad eandem columbae unitatem et ad illam gloriosam ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid eiusmodi (Eph. 5, 27) non pertineant, tamen, si corrigantur et se pessimos ad baptismum accessisse fateantur, non rebaptizantur, sed incipiunt ad columbam pertinere, per cuius eis gemitus peccata solvuntur, a cuius pace alienatis tenebantur; sic et qui apertius foris sunt, si eadem sacramenta sumpserunt, cum correcti ad ecclesiae veniunt unitatem, non iterato baptismo, sed eadem caritatis lege et unitatis vinculo liberantur. Nam si „non nisi in ecclesia praepositis et evangelica ac dominica ordinatione fundatis licet baptizare“[1], numquid tales erant, qui fundos insidiosis fraudibus rapiebant et usuris multiplicantibus fenus augebant[2]? Arbitror enim, quia illi dominica ordinatione fundati sint, quibus cum formam daret apostolus, ait: *Non avarum, non turpilucrum* (Tit. 1, 7). Tales tamen ipsius Cypriani temporibus baptizabant, quos coepiscopos suos fuisse cum magno gemitu confitetur et cum magna tolerantiae mercede perpetitur. Remissam tamen peccatorum non dabant, quae per orationes sanctorum, id est per columbae gemitus datur. Non enim raptoribus et feneratoribus diceret Dominus: *Si cui dimiseritis peccata, dimittentur illi; si cui tenueritis, tenebuntur* (Jo. 20, 23). „Foris“ quidem „nec ligari aliquid potest nec solvi, ubi non sit, qui aut ligare possit aut solvere“[3]; sed solvitur, qui cum columba fecerit pacem, et ligatur, qui cum columba non habet pacem, sive aperte foris sit sive intus esse videatur.

De baptismo contra Donatistas L. 6 C. 3, 5 et 4, 6 (CSEL 51, 301–302; PL 43, 199–200)[4].

Cap. 3. —5. Habere autem baptismum et tradere et accipere malos nequaquam in melius commutatos et de scripturis canonicis et de ipsius Cypriani litteris satis, ut arbitror, demonstravimus. Quos non pertinere ad sanctam ecclesiam Dei, quamvis intus esse videantur, ex hoc apertissime apparet, quia isti sunt avari, raptores, feneratores, invidi, malevoli et cetera huiusmodi, illa autem columba unica (Cant. 6, 8) pudica et casta, sponsa sine macula et ruga (Eph. 5, 27), hortus conclusus, fons signatus, paradisus cum fructu pomorum (Cant. 4, 12. 13) et cetera, quae de illa similiter dicta sunt; quod non intelligitur

[1] Cyprianus, ep. 73, 7.
[2] Cyprianus, De lapsis 6.
[3] Cyprianus, ep. 73, 7.
[4] Ostenditur, quo modo malus, quamvis non remissionem peccatorum, attamen baptismum aut, quia eadem est causa, reconciliationem dare possit.

nisi in bonis et sanctis et iustis, id est non tantum secundum operationes munerum Dei bonis malisque communes, sed etiam secundum intimam et supereminentem caritatem Spiritum sanctum habentibus, quibus Dominus dicit: *Si cui dimiseritis peccata, dimittentur; et si cui tenueritis, tenebuntur* (Io. 20, 23) [1].

Cap. 4. — 6. Ac per hoc nihil idoneum dici⟨tur⟩, cur non possit malus etiam tradere baptismum, qui potest habere, et sicut perniciose habet, ita etiam perniciose tradere; non quia tale aliquid tradit nec quia talis tradit, sed quia tali tradit. Nam cum malus tradit bono, id est in unitatis vinculo veraci conversione mutato, inter bonum sacramentum, quod traditur, et bonum fidelem, cui traditur, tradentis malitia superatur. Et cum illi veraciter ad Deum converso peccata dimittuntur, ab eis dimittuntur, quibus ipsa veraci conversione coniungitur. Idem quippe Spiritus sanctus ea dimittit, qui datus est omnibus sanctis sibi caritate cohaerentibus, sive se noverint corporaliter sive non noverint. Similiter cum alicuius tenentur peccata, ab eis utique tenentur, a quibus se ille, cui tenentur, vitae dissimilitudine et pravi cordis aversione disiungit, sive illum corporaliter noverint sive non noverint [2].

Contra Cresconium Donatistam L. 6 C. 12, 15; 13, 16; 16, 19 (CSEL 52, 373–379; PL 43, 475–478) [3].

Cap. 12. — 15. „At enim quia nostros“, inquis, „haereticos et sacrilegos vocas, quod nefarium et inexpiabile crimen est, numquid talibus sine aliqua expiatione ignosci debet aut potest? Cur ergo“, inquis, „non emaculas venientem, cur non primo abluis et emundas, et sic tibi communicat?“ Quid, quod ex his tuis verbis multo convenientius alius dixerit talibus iam ignosci nec debere nec posse teque tibi ipsi contraria locutum esse monstraverit, ut ideo diceres cum aliqua expiatione talibus ignoscendum, quia id, quod obicitur, inexpiabile est? Quomodo sperem te auditurum esse, quod dico, qui tam in proximo non audis ipse, quod dicis, cum tibi continuo

[1] Cf. In Jo. tr. 121, 4 et 124, 7 (cit. supra p. 66 ann. 1).

[2] Haec propria Augustini sententia ministri sacramenti munus in mere externam includens functionem non plene consonat cum iis, quae theologia posterior de causa ministeriali sacramenti docet, imo medium quiddam tenet hanc inter et Donatistarum doctrinam. Cum Cypriano et Donatistis episcopus Hipponensis nonnisi ecclesiam spiritualem peccata dimittere profitetur, cum theologia posteriore gratiam nequaquam ex persona pendere ministri defendit. — Vid. Adam I, p. 99 sqq.; ZkTh p. 419 sq.

[3] Opus scriptum est sub annum 406. Augustinus refellit, quae Cresconius quidam grammaticus catholicis crimini dederat, quod haereticos ad se venientes sine aliqua expiatione reciperent.

contradicis censendo expiandum, quod inexpiabile dixeris? Nos autem ita vestrum dicimus haereticum et sacrilegum errorem, ut tamen inexpiabilem non dicamus; alioquin frustra vobiscum, ut eo relicto correcti ad ecclesiam catholicam transeatis, quibus modis possumus, agendum esse censuimus. Nec nostro, sicut scribis, verbo te uti arbitreris, quasi hoc malum sine venia et sine medico esse dicamus; quod omnino non dicimus, quia et veniam merentur, quos huius mali paenituerit, et omnipotens est medicus, qui per prophetam dicit: *Si conversus fueris et ingemueris, tunc salvus eris* (Ezech. 18?). Quapropter si in aliquem forte incidisti vel minus in his rebus instructum vel minus, quid loqueretur, intuentem, quamvis esse communionis catholicae videretur, qui hoc tibi diceret, ipse potius huius inconsiderati verbi veniam mereatur sicut tu, qui, cum sis tam liberaliter eruditus et in arte verborum non mediocriter doctus, minus tamen, quid loquaris, attendens expiandum censes, quod inexpiabile dixeris et, quod est monstruosius, ideo expiandum, quia inexpiabile. Non est autem catholicum eos hortari, ut errore correcto salvi fiant, quos inexpiabiliter atque insanabiliter asseveremus errare. Sed ideo vobis non videntur mundari, cum ad nos ab vobis transeunt, quia non denuo baptizantur, quasi solo baptismo, quem repeti non oportet, cum idem atque unus est, homines ab errore mundentur. Mundantur et verbo veritatis ab illo qui ait: *Iam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis* (Jo. 15, 3). Mundantur et sacrificio contriti cordis ab illo, de quo dictum est: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum Deus non spernit* (Ps. 50, 19). Mundantur et eleemosynis ab illo, qui ait: *Date eleemosynas, et ecce omnia munda sunt vobis* (Lc. 11, 41). Mundantur ipsa, quae supereminet omnibus, caritate ab illo, qui per apostolom Petrum dixit: *Caritas cooperit multitudinem peccatorum* (1 Petr. 4, 8) [1]. Quae una si adsit, illa omnia recte fiunt; si autem desit, illa omnia frustra fiunt. Haec vero unde sit, audi dicentem apostolum: *Caritas*, inquit, *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (Rom. 5, 5). Unde merito creduntur hi, qui extra ecclesiam baptismum ecclesiae perceperunt, non habere Spiritum sanctum, nisi cum ipsi ecclesiae in vinculo pacis per conexionem caritatis adhaerescunt.

Cap. 13. — 16. Iam enim locus est, ut ostendam, quod in primo libro distuleramus, quid in ecclesia, quae sanctum corpus est Christi, proprie possit accipi, quod praeter illam non potest accipi. De his enim, qui schismata faciebant, idem apostolus dicit: *Animalis autem homo non percipit, quae sunt Spiritus Dei* (1 Cor. 2, 14); primam ad Corinthios epistulam lege et invenies. Baptismus igitur sacramentum

[1] Ad hanc enumerationem cf. supra p. 75 ann. 2 in fine.

est novae vitae ac salutis aeternae, quem multi habent non ad vitam aeternam, sed ad poenam aeternam, non bene utentes tanto bono; caritatem vero sanctam, quae est vinculum perfectionis, nemo potest habere non bonus. Nemo, qui habet, potest esse vel schismaticus vel haereticus [1]. Cum ergo quisque ad ecclesiae veniens unitatem, cum eius membris veraciter copulatur, accipiat Spiritum sanctum, per quem diffunditur caritas in cordibus nostris, eademque caritas cooperiat multitudinem peccatorum (1 Petr. 4, 8), ut et baptismum, quem primum habebat ad iudicium, habere iam mereatur ad praemium, quomodo eum mundari negas, nisi quia omnino, quae sit mundatio spiritualis, ignoras? Non igitur, sicut conviciaris, „tamquam in asylum Romuli vestros nocentes recipimus", quos civitas Dei recipiendo efficit innocentes [2], cum ad eam veraci corde transierint. . . .

Cap. 16. — 19. Cum ergo veniunt ad nos vestri, desistentes esse vestri, incipientes esse nostri, accipiunt, quod non habebant, ut salubriter habere incipiant, quod tanto perniciosius, quanto indignius habebant. Accipiunt enim primitus ipsam ecclesiam et in ea pacem, unitatem, caritatem per fontem eius proprium atque invisibilem Spiritum sanctum, sine quibus utique nullo dubitante interissent, quidquid aliud apud vos, quod de ecclesia foras trahi potuit, habuissent; faciliore autem venia, quod nondum habuerunt, accipiunt, quam si habuissent iam et deseruissent. Et hoc discernitur apud nos, ut aliter recipiantur, qui catholicam reliquerunt, aliter, qui ad illam primitus veniunt. Illos enim amplius gravat crimen desertionis, hos autem non a se dirruptum, sed cognitum et retentum vinculum relevat unitatis. Unde fieri potest, ut qui seductos rebaptizaverunt, ipsi pro eis paenitentibus Dominum deprecentur, si prius isti conciliati quam illi reconciliati ecclesiae fuerint; sicut fieri potest, ut

[1] Attamen non omnes extra ecclesiam degentes vere esse haereticos vel schismaticos ideoque caritate carere Augustinus alias docet, multos bonos sine culpa foris esse agnoscens. Ep. 43, 1: „Qui sententiam suam quamvis falsam atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt, praesertim quam non audacia praesumptionis suae pepererunt, sed a seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quaerunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter haereticos deputandi." „Tales in Dei populo generantur, Sara quidem, sed per Agar. Item boni spirituales, quando evangelizantibus vel baptizantibus carnalibus generantur, Lia quidem vel Rachel iure coniugali eos, sed per ancillarum uterum parit." De bapt. c. Donat. 1, 16, 25. — E contra et boni in ecclesia manent, si quando iniuste excommunicati fuerint: „quia et cum aliqua vel perversitate vel necessitate hominum videntur expelli, ibi magis probantur, quam si intus permaneant, cum adversus ecclesiam nullatenus eriguntur, sed in solida unitatis petra fortissimo caritatis robore radicantur" (Ibid. 1, 17, 26).

[2] Cf. Contr. Cresc. 3, 19, 22: „Solo ipso reditu propter caritatem, quae cooperit multitudinem peccatorum", expiati sunt.

etiam cultores idolorum, si quos forte christianos ad idola seductos apostatas fecerint, si priores seductores facti fuerint christiani et magnum aliquod meritum in ecclesia consecuti, per ipsos illi, quos deceperant, redeant, per ipsos commendentur et reconcilientur Domino, per quos dimiserant Dominum. Quod enim valet ad mundanda sacrilegia gentilium recte perceptum sacramentum baptismatis, hoc valet ad mundanda sacrilegia schismaticorum et haereticorum veraciter apprehensa caritas unitatis [1]. Quamobrem sicut seductores fidelium christianorum venientes ad Christum seductis redeuntibus praeponuntur, unde isti et episcopi fieri possunt, illi non possunt [2], ita mirari non debent decepti ab haereticis, quando ad catholicam redeunt, suos deceptores sibi anteponi, quando ad catholicam veniunt. Isti namque excusabilius petunt, quae sibi defuerunt, illi humilius repetunt, quod fuerunt; istos honorabilius, ubi nondum steterant, advocamus, illos suspectius, unde lapsi fuerant, revocamus.

De nuptiis et concupiscentia L. 1 C. 33, 38 (CSEL 42, 249–250; PL 44, 434–435) [3].

... Sic enim accipiendum est, quod ait idem apostolus: *Christus dilexit ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret mundans eam lavacro aquae in verbo, ut exhiberet sibi ipse gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid eius modi* (Eph. 5, 25–27), sic, inquam, hoc accipiendum est, ut eodem lavacro regenerationis

[1] Attendas ritum recipiendi per solam manus impositionem haereticos quoad effectum comparari cum ipso baptismo. Non solum igitur, quia levior est culpa primitus ad ecclesiam venientium quam apostatarum ad eum redeuntium, illi per solam manus impositionem, hi per paenitentiam maiorem recipiuntur — et illorum peccatum sacrilegium vocatur —, sed maxime ea de causa, quod in iis, qui primum ecclesiae inseruntur, completur quodammodo baptismus foris perceptus, dum ecclesiae adunatis prodesse incipit. Cf. Contr. Gaudentium Donatist. 1, 12, 13: „Ipsa catholicae unitatis caritate" mundantur, „ut non incipiat eis intus inesse, quod et foris inerat, sed incipiat eis prodesse intus, quod foris oberat." Vid. et supra p. 82 ann. 1. — Apte Innocentius I. ritum suscipiendi haereticos significare videtur, cum „sub imagine paenitentiae et sancti Spiritus sanctificatione per manus impositionem" eos suscipi dicit (Ep. 18, 3 ad Alexandr. Antioch., Mansi III, 1055). „Sub imagine paenitentiae": quia eodem reconciliationis modo, quo proprie paenitentes remissionem peccatorum accipiunt. Apertissime autem ex illo ecclesiae usu ipsam vim peccati deletivam non satisfactionis operibus, sed reconciliationi cum ecclesia inesse cognoscitur (Cf. supra p. 24 ann. 1). Hoc quoque apparet et extra paenitentiam maiorem ecclesiam solvendi potestatem exercuisse (KC p. 16; AK p. 110).

[2] Cf. supra p. 37 ann. 3.

[3] Operis scripti 419—420 particula haec vim ostendit baptismi, in quam omnis remissio peccatorum referenda sit.

et verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur atque sanentur; non solum peccata, quae omnia nunc remittuntur in baptismo, sed etiam quae posterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur, non ut baptisma, quotiens peccatur, totiens repetatur, sed quia ipso, quod semel datur, fit, ut non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur [1]. Quid enim prodesset vel ante baptismum paenitentia, nisi baptismus sequeretur, vel postea, nisi praecederet? In ipsa quoque oratione dominica, quae cotidiana est nostra mundatio, quo fructu, quo effectu diceretur: *Dimitte nobis debita nostra* (Mt. 6, 12), nisi ab eis, qui baptizati sunt, diceretur? Itemque eleemosynarum largitas et beneficentia quantalibet cui tandem ad dimittenda sua peccata prodesset, si baptizatus non esset? Postremo regni caelorum ipsa felicitas, ubi non habebit ecclesia maculam aut rugam aut aliquid eius modi, ubi nihil reprehensionis, nihil simulationis erit, ubi non solum reatus, sed nec concupiscentia erit ulla peccati, quoum erit nisi baptizatorum?

De correptione et gratia C. 5, 7 (PL 44, 919) [2].

Quicumque Dei praecepta iam tibi nota non facis et corripi non vis, etiam propterea corripiendus es, quia corripi non vis. Non vis enim tibi tua vitia demonstrari, non vis, ut feriantur, fiatque tibi utilis dolor, quo medicum quaeras; non vis tibi tu ipse ostendi, ut, cum deformem te vides, reformatorem desideres eique supplices, ne

[1] Cf. Ep. ad Rom. inch. expos. 19: „Eos enim, qui iam baptizati fuerint, curari melius dicimus per paenitentiam, non renovari; quia renovatio in baptismate est. Ubi quidem operatur paenitentia, sed tamquam in fundamento." Ep. 185, 39: „Quidquid ab eis, qui post acceptum baptismum hic vivunt, infirmitate humana contrahitur quarumcumque culparum, propter ipsum lavacrum dimittitur. Neque enim aliquid prodest non baptizato dicere: Dimitte nobis debita nostra." — Hinc cerni posse crediderim, quo sensu Augustinus sequens Origenem ignorantiae et infirmitatis peccata item atque in Vetere Testamento non sicut peccata malitiae certam poenam exposcere, sed sacrificio purgari doceat (Quaest. in Heptateuch. 4, 25, supra p. 40 et ann. 1): virtute scilicet illius remittuntur sacrificii, quod in baptismo ipsoque baptismo per totam fidelium vitam operatur, unde ipsorum, quas pro peccatis effundunt preces et quaecumque faciunt bona opera, efficacia fiunt (cf. Ep. ad Rom. inch. expos. ibid: „Holocausto dominicae passionis, quod eo tempore offert quisque pro peccatis suis, quo eiusdem passionis fide dedicatur et christianorum fidelium nomine baptizatus imbuitur"), ut ipsa quoque sacrificia aestimari possint (cf. serm. 351, 3, 6: „sacrificia eleemosynarum, ieiuniorum et ipsarum orationum ac supplicationum").

[2] Liber, scriptus 426 vel 427, nec correptionem gratia prohiberi nec gratiam correptione negari ostendit. Caput hoc 5. de fine correptionis agit. Cf. serm. 82, 4, 7 sq. et p. 58 ann. 1, p. 60 ann. 1; De fid. et op. 26, 48 et p. 75 ann. 2.

in illa remaneas foeditate. Tuum quippe vitium est, quod malus es, et maius vitium corripi nolle, quia malus es, quasi laudanda vel indifferenter habenda sint vitia, ut neque laudentur neque vituperentur; aut vero nihil agat timor correpti hominis vel pudor vel dolor aut aliud agat, cum salubriter stimulat, nisi ut rogetur bonus, et ex malis, qui corripiuntur, bonos faciat, qui laudentur [1]. Quod enim vult pro se fieri, qui corripi non vult et dicit: „Ora potius pro me", ideo corripiendus est, ut faciat etiam ipse pro se. Dolor quippe ille, quo sibi displicet, quando sentit correptionis aculeum, excitat eum in maioris orationis affectum, ut Deo miserante incremento caritatis adiutus desinat agere pudenda et dolenda et agat laudanda atque gratanda. Haec est correptionis utilitas, quae nunc maior nunc minor pro peccatorum diversitate adhibetur; et tunc est salubris, quando supernus medicus respicit. Non enim aliquid proficit, nisi cum facit, ut peccati sui quemque paeniteat. Et quis hoc dat, nisi qui respexit apostolum Petrum negantem et fecit flentem (Lc. 22, 62)? Unde et apostolus Paulus, posteaquam dixit cum modestia corripiendos esse diversa sentientes, protinus addidit: *Ne quando det eis Deus paenitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant de diaboli laqueis* (2 Tim. 2, 25. 26).

Contra Julianum opus imperfectum L. 6 C. 19 (PL 45, 1543–1544) [2].

... Utrum autem mala voluntate sic pereat innocentia, ut possit bona voluntate reparari, non contemptibilis quaestio est. Sicut enim si voluntate amputentur corporis membra, non restituuntur itidem voluntate, ita videndum est, an in re quidem dissimili, id est in animo tale aliquid de innocentiae perditione contingat et voluntario motu perire possit, redire non possit. Nam et sacra virginitas si per impudicam pereat voluntatem, ad pudicitiam rediri potest, ad virginitatem non potest. Sed adhuc respondetur et integritatem virginitatis in corpore non utique animi esse, sed corporis; cum vero de innocentia disputatur [3], et tamen considerandum est, utrum ad iustitiam voluntate

[1] Dixerant illi, contra quos disputat Augustinus: „Praecipe mihi, quid faciam, et si fecero, age pro me gratias Deo, qui mihi, ut facerem, dedit; si autem non fecero, non ego corripiendus sum, sed ille orandus est, ut det, quod non dedit, id est ipsam, qua praecepta eius fiunt, fidelem Dei et proximi caritatem. Ora ergo pro me, ut hanc accipiam et per hanc ex animo cum bona voluntate, quae praecipit, faciam" (Ibid. 4, 6).

[2] Hoc supremum Augustini opus ad annum 430 conscriptum est. Textus allatus solum Deum, non ipsum hominem peccati reatum tollere exponit. Ad quod cf. supra p. 64 ann. 1.

[3] Maurini notant: forte addendum: „de re, quae animi est, disputatur."

redeat, qui peccaverit, non ad innocentiam, sicut illa ad pudicitiam, non ad virginitatem redit. Nam sicut iniustitia iustitiae ita innocentiae velut eius contrarium non iniustitia, sed reatus opponitur, qui hominis voluntate non tollitur, etsi eius voluntate sit factus. Non enim verum videt, qui putat reatum sibi ipsi tollere paenitentem; quamquam et ipsam paenitentiam Deus det, quod apostolus confirmat dicens: *Ne forte illis Deus det paenitentiam* (2 Tim. 2, 25); sed reatum apertissime Deus tollit homini dando indulgentiam, non sibi ipse homo agendo paenitentiam. Debemus quippe illum recolere, qui locum paenitentiae non invenit, quamvis cum lacrimis quaesierit eam (Hebr. 12, 17). Ac per hoc et paenitentiam egit et reus remansit, quia veniam non accepit. Et illi, qui dicent inter se *paenitentiam agentes et per angustiam spiritus gementes: Quid nobis profuit superbia* (Sap. 5, 3. 8)? etc., rei utique in aeternum non accepta venia permanebunt; sicut etiam ille, de quo Dominus ait: *Non remittetur ei, sed reus erit aeterni peccati* (Mc. 3, 29). Ecce inventa est innocentia magnum hominis bonum, atque ita naturale, ut cum illa sit conditus primus homo, et sicut vos dicitis, cum illa nascitur omnis homo, quae tamen hominis voluntate perdi potest, non potest reddi; et reatus magnum malum innocentiae contrarium, quod tamen potestas hominis, cum sit voluntarium, possit inferre nec possit auferre.

INDEX

Praefatio 1
Enchiridion 64, 17—83, 22 5
Sermo 351 15
Retract. 1, 25 32
Confess. l. 9 c. 13, 34. 35 32
Ep. 95, 3 33
Ep. 151, 9 34
Ep. 153, 7 35
Ep. 228, 8 36
Ep. 265, 2; 7; 8 37
Quaest. in Heptateuch. l. 3 q. 1 39
Quaest. in Heptateuch. l. 4 q. 24. 25 39
Speculum de script. sacra, ad Act. 15, 20 sqq. 41
Quaest. 17 in Matth. q. 11, 3 42
In Jo. evang. tract. 49, 3; 24 43
In Jo. evang. tract. 121, 4 44
In ep. Jo. ad Parth. tract. 1, 5; 6 45
Enarr. in Ps. 58, serm. 1, 13 47
Enarr. in Ps. 61, 23 47
Enarr. in Ps. 84, 16 48
Enarr. in Ps. 110, 3 49
Serm. 17, 3 49
Serm. 56, 8, 12 50
Serm. 67, 1, 2; 2, 3 51
Serm. 71, 12, 18—13, 23; 17, 28; 19, 32; 23, 37 52
Serm. 82, 3—9 56
Serm. 98, 4—7 62
Serm. 99, 9 65
Serm. 232, 7, 8 66
Serm. 278, 12 67
Serm. 295, 2, 2; 3, 2 67
Serm. 352, 3, 8 69
Serm. 392, 2—6 70
De div. quaest. 83, q. 26 73
De fid. et op. 26, 48 74
De symbolo 7, 15—8, 16 76
De civ. Dei l. 20 c. 9, 2 77
Contr. ep. Parmen. l. 3 c. 13—15 78
De bapt. contr. Donatist. l. 3 c. 16, 21—18, 23 81
De bapt. contr. Donatist. l. 6 c. 3, 5; 4, 6 84
Contr. Crescon. l. 2 c. 12, 15; 13, 16; 16, 19 85
De nupt. et concup. l. 1 c. 33, 38 88
De corr. et gr. 5, 7 89
Contr. Jul. op. imp. l. 6 c. 19 90

BR
63
F4
v.38

41616

Augustinus Aurelius.
S. Aurelii Augustini

BR
63
F4
v.38

41616

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

GTU Library
BR63 .F4 v.38 G
Augustine/Sancti Aurelii Augustini, epis
3 2400 00036 5217

208
F664